

AD OPTIMUM ET CLARISSIMUM VIRUM

D. FERNANDUM TOLETUM ALBANORUM DUCEM

J. O. G E N E S I I S E P U L V E D A E

DEMOCRATES,

SIVE

DE CONVENIENTIA DISCIPLINAE MILITARIS*

CUM CHRISTIANA RELIGIONE DIALOGUS.

PRAEFATIO.

CUM Bononiam venissem Clementem Pontificem maximum secutus, quo tempore hic Roma profectus, et Carolus Caesar ex Pannonico bello reversus, de summis videlicet rebus colloquendi gratia in eam urbem convenerunt, gratissimum mihi fuit post longam meam decem et octo annorum in Italia peregrinationem multos ex Hispana nobilitate summae spei adolescentes videre, et aliquorum jucundissima consuetudine colloquioque frui. Sed me omnium maxime delectavit, quod ipsorum quosdam animadverti, non ad arma solum, sed ad litteras etiam praeter morem nostrae gentis factos esse procliviores. Prius enim rarissimum erat Hispanum hominem illustri loco natum videre, qui vel litteras Latinas didicisset: credo propter bella, quae jam olim a nostris intra Hispaniam ipsam cum Christianae religionis hostibus paene continenter gerebantur. Nam studia doctrinarum pacis otia fere persequuntur: sed postquam haec optimorum religiosorumque Principum Fernandi et Isabellae virtute et sapientia data nobis est et confirmata, hostibus partim subjugatis, partim etiam deletis, in dies, ut video, frequentiores adolescentes ex nobilitate existunt, qui contentur bellicam majorum gloriam laude quoque doctrinae more veterum Romanorum cumulare. Sed illud fuit permolestum, quod ipsorum non paucos perspexi scrupulis quibusdam religionem attingentibus sollicitari,

Tom. IV.

Ff

quos

* In editione Coloniensi inscribitur hic Dialogus: *De honestate disciplinae militaris.*

quos mihi traxisse videbantur ex quorumdam commercio, qui studio rerum novarum inflammati magnos hac memoria tumultus in Dei Ecclesia concitarunt, *conversi*, ut Paulus ait, *ad vaniloquium, et volentes esse legis doctores, nec tamen intelligentes, quae loquuntur, neque de quibus affirmant*. Sed nulla erat major illorum juvenum sollicitudo, quam quod se vereri profitebantur, ne non posset miles generosus simul officio militari, simul praeceptis Christianae religionis satisfacere. Quam opinionem, vel errorem potius ut minuerem, praesens voce, quatenus licuit, in familiaribus congressibus elaboravi. Postquam vero in urbem reversi sumus, quaestionem scripto accuratius disserere constitui, ac de bellorum justitia et honestate, de fortitudine, de magnitudine animi, ceterisque rebus, quae propius hanc quaestionem attingunt, disputare: quam pro ipsius multiplicitate et varietate paulo latius explicatam hoc libello complexus sum: quem ut ad te potissimum mitterem, Fernande Tolete, Dux Albanorum inclite, adduxerunt me tuae singulares et excellentes virtutes, atque eadem hereditariae: ut enim Albanum principatum, sic eas tamquam jure hereditario a majoribus tuis traditas accepisti, ac diligentissime tueris. Dum in hostes fortem et magnum animum, in tuos humanitatem et justitiam praestas, in omnes praesertim egenos ac tenuiores liberalitatem et magnificentiam. Et quod est omnium virtutum fundamentum, Deum singulari quadam pietate veneraris. Itaque virtutem bellicam et simul Christianam religionem tam strenue sancteque colis, ut ad errorem, quem hic libellus insectatur, convincendum claritas exempli tui per se satis fore videatur. Ceterum ut sermo velut disceptando commodius explicaretur, placuit nobis ipsum more Socraticorum in dialogi formam redigere, verisque parum commode suppetentibus, tres fictas a nobis personas, quasi Romae loquentes inducere, *Leopoldum* Germanum hominem, non nihil de Luthero referentem, *Alfonsum Guevaram* nostrae gentis, veteranum militem, et *Democratem* Graecum, cui primas in disputatione partes, ut jam legens ipse cognosces, attribuimus. Oritur autem sermo a Leopoldo Alfonsum alloquente, quem solum offendit ad montem Vaticanum in coenaculo palatii pontificii deambulans.

LIBER PRIMUS.

LEOPOLDUS.

I. **Q**UID meditaris, Alfonse? numquid novi ab Hispania? Nam publicum vobis tabellarium pervenisse, indubitato argumento sunt frequentes epistolarum indices ad fores argentariorum proposti, et magnus Hispanorum concursus ad fasciculos redimendos. **ALF.** Ab Hispania, Leopolde, nihil novi, quod quidem tibi scire sit cordi: omnes, qua solent, tranquilla pace fruuntur; nisi quod prudentiorum animos ea cura sollicitari conscribunt, quis eventus sit futurus hujus periculosissimi belli, quod Princeps Turcarum Solimanus Pannoniis atque Germanis infert. Ad quod propulsandum Carolus Caesar Rex noster satis firmum exercitum comparasse dicitur. Nemo enim paulo modo peritior rerum ignorat, discrimine belli hujus maxima rerum verti momenta, deque summa propemodum agi reipublicae Christianae. Quamquam, si vera sunt, quae nuntiantur, peditum centum millia, equitum vero triginta in armis esse, sapientia et auctoritate Caroli Caesaris, curaque et diligentia Ferdinandi fratris ejus Pannoniae Regis coacta, magna me spes habet, victoriam, si dimicatum fuerit, penes nostros fore, quamvis hostium exercitum asseverent quingentorum millium armatorum numerum excedere. Nam licet nostri sint impares numero, tamen genere militum, virtute, peritia belli gerendi, armorumque apparatu sunt longe superiores.

Turcarum bellum Pannoniis atque Germanis illatum.

Caroli Caesaris apparatus ad obsistendum Turcis, ac ejusdem industria in conficiendo exercitu.

II. **LEOP.** An ista te modo sollicitudo fatigabat, jam dudum in hoc pontificio coenaculo solum obstipo capite cornicum more deambulanti? **ALF.** Ea certe potissimum. Homini enim civili et liberaliter educato nulla, ut opinor, cura potior esse debet, quam earum rerum, quae rempublicam attingunt. Sed hanc ipsam sollicitudinem auget meae profectionis in hoc bellum cogitatio: quam profectionem id solum moratur, quod tres equi, quos electos Neapoli reliqueram, antequam in morbum incidissem, a quo vixdum satis convalui, nondum mihi sunt adducti. Neque enim statui, fortis atque officiosi militis esse ei bello, quod Imperator praesens administret, non interesse, si per valetudinem ei liceat, aliasque magnas aut necessarias occupationes; praesertim si quis illius absenti-

tis legatis ac ducibus suam operam non ignave multis in bellis praestiterit : quod mihi arbitror accidisse , qui sub Gonsalo Magno tyrocinium deposui , nec ab eo tempore bellum ullum ab Hispanis est in Italia gestum , cui ego non interfuerim , et meam virilem operam navaverim .

Turcarum fuga turpissima non expectato certamine.

III. LEOP. Istum equidem animum , Alfonse , et laudo et amplector , qui nullam officii sustineat intermissionem facere , sed te ista cura solitudineque libero . Heri enim vesperi a Pannonia Hippolyti Medicis legati litterae sunt Pontifici redditae , quibus hostis nuntiatur , non expectato praelio , perterritus aufugisse . ALF. Miranda narras , et nullis ante saeculis audita , tam ingentem exercitum , qui vel orbi universo formidandus esse videbatur , nullo praelio fortunam expertum , longe paucioribus cedentem confugisse . Ceterum quis tibi hujus nuntii auctor est ? Vereor enim , ne quis aulicorum , ut sunt eorum plerique nasuti , tibi homini Germano , avidius fortasse de rebus novis perquirenti , quod magnopere te cupere intelligebat , id pro certo ludens affirmaverit . LEOP. Nosti Democratem , Graecum hominem , sed a pueritia educatum in Italia , propinquum , ut audio , Demetrii ejus , qui Peloponneso dominabatur ? ALF. Ego vero ipsius consuetudine diu sum militiae perlibenterque usus . Est enim non solum philosophia ac litteris Graecis Latinisque perpolitus , sed etiam rei militaris , quam longo usu didicit , peritissimus . LEOP. Is mihi modo in Pontificis , unde egrediebatur , conclavi rei summam exposuit . Nam et nobis olim ex quo una in gymnasio Patavino adolescentes philosophabamur , familiaritas , nec ea vulgaris , intercedit . ALF. An Democrates nobis advolavit a Pannonia , quo nuper ipsum ex Cisalpina Gallia pervenisse , Hispanorum exercitum veteranum secutum , his paucis diebus factus sum litteris amicorum certior ? LEOP. Advolavit scilicet , per equos enim dispositos cum eo , qui , quas modo dixi , litteras attulit , celerrimo cursu delatus pervenit , Clementem Pont. Max. adhortaturus , ut opem , qua in hoc apparatu Caesarianum exercitum liberaliter juvabat , transferat in bellum Peloponnesiacum . Illuc enim properat Democrates , si quam opem vel industria , vel auctoritate sua possit nostris afferre , qui fugata Turcarum maxima classe , et Corone oppido Peloponnesi maritimo expugnato , duce Andrea Doria , multo majora moliuntur : quin ipsum Democratem aspice ad nos venientem , a quo poteris exactius cuncta

Corone oppidum Peloponnesi expugnatum a classe Caesariana.

cta

cta perdiscere. ALF. Ipse haud dubie Democrates est.

IV. O salve, Democrates: incolumem te a Pannonico bello rediisse gratulor. DEM. Tu quoque, Alfonse, salvus sis. ALF. Estne verum, quod modo mihi referebat Leopoldus, Turcarum exercitum, nondum tuba nostrorum audita, se fugae mandasse! DEM. Est vero verius. ALF. Agnosco Caroli Caesaris fortunam. DEM. Agnosce et industriam. Ea namque prudentia exciverat magnas Germanorum copias, quorum discordiae propter Lutheranos tumultus maxime fidebat hostis, eaque diligentia militem vestrae gentis veteranum ex Insubria, novamque Italorum manum ex reliqua Italia, hostium adventu nuntiato, deducendam ad se in Pannoniam curaverat, ut quem et infirmum et imparatum offensurum se crederat Solimanus, hunc tam instructum invenerit, ut sibi vires ejus non esse tolerandas intelligens, ne experiendam quidem praelio periculosissimo fortunam constituerit. ALF. Quid igitur nostri? nonne fugientem hostem insequuntur? DEM. Non visum est opportunum, nam multorum dierum itinere a castris nostris aberat, cum fugere cognitus est, quem ad munitiora loca, et bello extrahendo magis idonea sese recipere putabamus; ut consequi esset perquam difficile; et alioquin nostri ad propulsandum bellum, quam ad hostem extra Germaniae Pannoniaeque fines persequendum paratiores erant, praesertim hieme appropinquante, et quo futurum erat iter, cunctis per hostium malefium atque injuriam ferro et igne devastatis: ut nihil reliqui facerent, unde commeatus possent properantibus nostris suppeditari. Te vero, Alfonse, veteranum militem etiam atque etiam demiror, quae tam magna causa distinuerit in Italia, ut a tam necessario honestoque bello, cui Carolus Caesar ipse praeesset, sustineres abesse: te namque et fortem virum, et ad munera bellica obeunda, si quemquam alium, promptum et impigrum perspexi: quo nomine tunc te magis ac magis puderet, si scires ex Hispana nobilitate quot viros fortes, et quam frequentem juventutem fama belli hujus exciverit, qui nec vocati, nec ullum praemium praeter officium et gloriam secuti ex cunctis Hispaniae finibus certatim ad praelium, quo nemo dubitabat, quin esset decernendum, accurrebant: quorum principes fuere Fernandus Tole-
tus, et Franciscus Sotomajor Stunica, Albanorum Bejarensiumque Duces: quorum ille paternae virtutis aemulus (est enim, ut scis, Garsiae Toleti filius, ejus qui in Africa impetu hostium appetitus
for-

Duorum Ducum Albani et Bejarensis adventus, et frequens Hispaniae nobilitatis ultro-neusque concursus ad bellum Pannonicum.

fortissime dimicans , ac egregie sese ultus occubuit) factus modo heres aviti principatus nihil habuit potius , quam ut cum frequenti electoque comitatu ad Regem suum proficisceretur , et nihil suis opibus parcens , se quoque pro Christianorum publica causa discrimini belli hujus exponeret . Hic vero , magna vi pecuniarum ad militem conducendum praemissa , ipse cum paucis per dispositos equos , magno tamen equitum comitatu subsequente , ne certamini non interesset , magno constantique animo properavit : qui ut claro documento doceret , sibi nullam aliam causam fuisse peregrinationem illam suscipiendi , quam ut pro Christiana libertate pugnando Caesari suum praestaret officium , sublata per hostium fugam pugnandi facultate , missione impetrata statim domum , quemadmodum venerat , est reversus .

V. ALF. An me aliud putas , quam de illuc proficiscendo jam dudum cogitasse ? sed adversa valetudine prohibitus sum , a qua ne nunc quidem satis vires pristinas recepi . Neque enim ignoro , quantus nobilium et summae indolis adolescentium fortiumque virorum ultro ab Hispania ad istud bellum factus fuerit concursus , et illorum , quos nominasti , principum adventus officii magnitudinisque animi plenus , multorum nobis litteris est perscriptus , et aliorum praeterea principum virorum : nec enim ipsos attinet nominatim recensere , quos pari animi magnitudine , eadem in Regem suum remque publicam Christianam pietas ad bellum sacrosanctum concitavit : est enim , si nescis , hominum nostrorum animis insitus quidam egregius religionis respectus . DEM. Ego vero id habeo multis exemplis exploratum . Nam cum rara sit *pietas* iis , qui *castra sequuntur* , ne poëtae prorsus astipulemur , qui nullam eis neque fidem neque pietatem esse prodidit : animadverti tamen post urbis Romae direptionem in ea peste , quae ingens paulo post exercitum Caesarianum ex variis gentibus conflatum invasit , plerosque milites Hispanos , cum in morbum incidissent , praedam percupide partam , ne vos videar ab omni crimine vindicare , religione tamen ductos spoliatis civibus restituisse : quod aliarum nationum cuiquam fortasse militi accidit : ego tamen , qui toto eo tempore in castris fui , multaque diligenter observavi , neminem nec vidi , nec ab aliis audivi , qui hoc officium Christianae religioni tribuisset : quam de vobis existimationem auxit mihi vel plurimum in Pannonia superioribus diebus honestissima eademque jucundissima eorum juve-

Hispanis innata religio.

Lucan. lib. 10.

Occasio dialogi.

venum ex Hispana nobilitate, quos modo memorabam, consuetudo: qui, cum prompti et alacres essent ad pugnam, ut omnes opinabamur, impendentem ineundam, et mortem pro Christiana religione, si fortuna tulisset, oppetendam, illud se modo subvereri dictabant, ne justissima ira Dei propter Lutheranam impietatem Germaniam affligere, et hoste vindice hostem ulcisci statuisset. Itaque plurimus eis erat sermo de religione, et item de officio nobilis et Christiani militis: cujus conditionem complures ipsorum non sine dolore accusabant, in quibusdam dictitantes, nobilis militis, quem ipsi equitem, sed patrio vocabulo nuncupabant, professionem cum praeceptis Christianae philosophiae parum cohaerere.

VI. ALF. Vetus scilicet querela, sed quae dudum, nescio quo pacto, coeperit inter Hispanam nobilitatem magis ac magis invalescere. LEOP. Quid mirum? cum ne illud quidem satis constet, num bellum cum quovis hoste gerere, quod est militis officium, liceat per religionem homini Christiano. DEM. Scio, Leopolde, tuorum Germanorum quosdam non obscuri nominis id ipsum nuper disserere coepisse. Atque equidem metuo, ne illa, de qua modo dicebamus, querela ex istorum commercio nata sit, aut aliunde fortasse pertenui capite orta, hinc vires etiam atque etiam adquisiverit. ALF. Tu vero, Democrates, quid sentis? num fortis nobilisque militis professionem a Christiana doctrina putas abhorere? Nam et mihi accidit, quorumdam meorum contubernalium hujusmodi querelis interesse, et in eam opinionem sum, ut verum fatear, jam pridem delapsus, non quod putem, Christianis bella suscipere habendum esse religioni, tam saepe justis, aut etiam necessariis, ut mihi quidem videtur, suscipiendi causis incidentibus; sed quoniam multa accidunt in vita, quibus intervenientibus viro forti sit necesse, aut famam, cujus ipsi debet esse maxima cura, deserere, aut praecepta religionis negligere. LEOP. Mihi quidem et ob istas et ob alias causas sic prorsus videtur, nolo tamen quidquam temere asseverare: sed tu quid, Democrates, arrides, et non potius rationem contra, si quam habes, exponis? DEM. Gaudeo te, Leopolde, cautiorem, quam solebas, esse factum, qui, cum plane tuam sententiam a dogmatis Lutheranis non alienam paucis protulisses, memor tamen te non Saxoniae, sed Romae, et in aedibus pontificiis verba facere, dictum notissima cautione et tuorum quibusdam familiari temperasti. LEOP. Omitte, Democrates, men-

Utrum liceat
Christianis
bellum gere-
re contra Lu-
theranorum
errorem.

mentionem facere Lutheri, et culpam ejus, si qua est, nobis exprobrare, qui vim rationum in omni quaestione, aut sacrarum litterarum testimonia, non cujusquam hominis auctoritatem sequimur. DEM. Praeclare vero nobiscum actum est, si non licet, ut quisquam vir fortis sit, et idem Christianus: sed haec quaestio major, ut video, facta est quorundam ingeniiis, quam ut paucis queat explicari. ALF. Obsecro te, Democrates, quando in hunc sermonem incidimus, et mihi videris non imparatus aut immeditatus his de rebus disserturus, ut nobis explices tuam sententiam, et Leopoldo viro in philosophia et sacris litteris exercitato, quem ad contradicendum paratum video, satisfacias: sic enim mihi satisfactum fuerit homini indocto, et vix qui Latinas litteras didicerim, sed tua et doctrina, et rerum peritia, quid res haec habeat veritatis, edoceri percupido. LEOP. Mihi vero, Democrates, rem feceris perinde gratam, qui huic opinioni non tam pertinaciter adhaesi, ut ratione convictus non sim libenter ipsam depositurus, te praesertim auctore, qui ad studia doctrinae rei quoque militaris peritiam, divinum illum Socratem imitatus, sic adjunxisti, ut mihi videaris inter hujus memoriae magnos viros excellere. DEM. Opus quidem erat majore otio et animo vacuo: ceterum difficile est studio veterum amicorum abnuere, praesertim colloquium postulantium ad indagandam in re controversa et ad plurimos pertinente veritatem, cujus inquisitioni nullum negotium esse praefendum principes philosophorum putaverunt.

VII. Age igitur, Leopolde, ut morem disputandi Platonicum teneamus, causam expone, cur tibi militia cum religione Christiana tantopere pugnare videatur. Ego quae mihi contra videbuntur, nam te in magno errore versari certum habeo, jam conabor explicare. LEOP. Primum omnium quia, ut paulo ante dicebam, bellum omnino gerere, Christianis institutis jureque divino vetamur. DEM. Contra jus ergo divinum gessit bellum Josue, et praeter legem divinam bello persecutus est tot reges et civitates, dum novas sedes populo Israëlitico pararet. At raro, atque haud scio, an numquam praelium inivit injusu Dei, a quo etiam, ut solem lunamque sisteret, dum suos hostes ulcisceretur, pugnans cum Amorrhæis impetravit: ut pleraque alia bella, quae a Davide, quae a Machabaeis, quae a ceteris electi populi praefectis jussu et ope Dei gesta sunt, taceantur. LEOP. Quem Josue, quem Davidem, quos tu mihi Macha-

chabaeos narras? Judaeos homines, et memoriae pervetustae: de Christianis quaerimus, et lege utentibus evangelica, non de Hebraeis, quos scimus sanguinolentos fuisse, et quibus cum Christianis nihil est in hac parte commune. DEM. Christianorum igitur Deus alter est ac Judaeorum. LEOP. Deum quidem unum esse, atque eundem omnium gentium rerumque omnium conditorem et gubernatorem profiteamur, nam *idem dominus omnium*, ut inquit Paulus, *et dives in omnes, qui invocant illum*: sed praecepta et leges alias aliis datas esse nemo ignorat. Itaque Judaeis per legem belligerare licebat, Christianis non item licet. Quid est enim, quamobrem pugnare debeat, qui violento non resistere, sed dextera gena colapho accepto, alteram caedendam exponere; et tunicam spoliare conanti pallium etiam dedere, ab ipso Christo jubetur? a quo cum Petrus reprehensus sit, quod adversus impios et sceleratos pro innocentissimo Domino strinxit ferrum: quae poterit esse causa posthac, ut homo Christianus injuriam injuria repellat, qui, ne pluribus agam, suos hostes etiam diligere praecipitur? DEM. Christus igitur veterem Judaeorum legem abolevisse, et praecepta illis data penitus antiquasse tibi videtur? LEOP. Non mihi quidem solum, sed cum aliis plerisque, tum etiam Paulo, qui in epistola, quae est ad Galatas, nihil aliud propemodum agit, quam ut veteris legis observationem perniciosam etiam, non solum inutilem esse doceat Christiano: *Ex operibus, inquit, legis non justificatur omnis caro*: et paulo post: *Si per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est*: et item: *Quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*. Tota denique epistola huc pertinet, ut lex illa, qua utebatur populus Judaeorum, abolita esse intelligatur.

VIII. DEM. Tu vero, Leopolde, utri potius credendum censes, Christi ipsius evangelicae professioni, an Pauli, si quidquam ab eo discrepare videatur, epistolari doctrinae? LEOP. Christi potius verbis: Deus enim est, in quem nec error potest nec vanitas cadere, si Paulus a Christo dissentiat: sed dissentire non potest, idem est enim Spiritus sanctus, qui loquitur in utroque: immo et ipse Paulus Christum in se loqui profitetur his verbis: *An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus?* DEM. At Christus in evangelio: *Non veni, inquit, legem solvere aut prophetas, sed adimplere*. LEOP. At ista professio Christi non tantum non discrepat a doctrina Pauli, sed cum ipsa congruit etiam ad amussim. In

Ad Rom. 10.

Matth. 5.

Matth. 26.

Testamentum vetus quatenus a Christo fuerit abrogatum.

Ad Gal. 2.

2. ad Cor. 13.

Matth. 5.

veteri enim testamento, quod legem et prophetas appellamus, pleraque omnia erant velut imagines et figurae seu vaticinia rerum futurarum, quibus rebus per Christum perfectis, ac in ipso evenientibus, datoque novo testamento, vetus cum suis legibus antiquatum esse non potest dubitari. Nam rebus ipsis praesentibus, quis potest umbris ac imaginibus esse locus? DEM. Certe nullus: sed in veteri testamento nullam rem expressam et solidam, sed adumbrata cuncta, et meras imagines aut praedictiones esse putas? LEOP. Fortasse cuncta. DEM. Etiamne leges illas, de quibus est in Exo-

Exod. 20. do: *Non occides, non adulteraberis, non furtum facies, et cetera* id genus praecepta, quibus tamen observandis parari vitam aeternam, non uno loco docet Christus in evangelio? LEOP. Praecepta Decalogi omnino sunt excipienda, vigent enim in utroque testamento.

*August. vet. et
nov. Test. q. 44.
Hier. lib. contra
Pelagi.*

IX. DEM. Non igitur omnia in vetere figurae sunt, aut vaticinia. LEOP. Quasi vero simpliciter ipse fuerim locutus, et omnia dixerim, non pleraque omnia, et cuncta fortasse. DEM. Laudo cautionem, ac unde didiceris, intelligo: sed cur ea potissimum vigent, ceteris abrogatis? An quia pertinent ad mores instituendos, et sunt ab ipsa natura profecta? Hoc enim et Augustino placet et Hieronymo, ut ceteros taceam doctissimos theologos. LEOP. Certe, non quod Hieronymus ita senserit, aut Augustinus, qui homines fuerunt, et potuerunt errare, sed quoniam id cum ratione congruit et evangelica doctrina. DEM. Non postulo, Leopolde, cum Hieronymi utor vel Augustini testimoniis, ut ipsorum scripta pari fide ac libros, qui *canonici* nominantur, prosequaris: id enim facere, vel ipso in primis Augustino auctore in epistola, quae est ad Hieronymum, vetamur: sed magnorum virorum, quorum cum sanctitate doctrina et sacrarum litterarum peritia nobilitata est, et ecclesiae auctoritate probata, dictis absque summa et manifesta ratione refragari, vide ne non sit hominis non modo pervicacis, sed etiam impudentis. Verum haec alias: redeo ad praecepta Decalogi, quae si vim suam idcirco in lege quoque evangelica retinere fateris, quoniam ut sunt, sic etiam habentur leges naturae, si qua lex alia a jure itidem naturae profecta esse reperiatur, qua sanctos patres usos fuisse constet in veteri testamento, hanc a Christo abrogatam esse nonne per te nefas erit existimare? Leges enim naturae ad omnes homines omneque tempus pertinere, eruditissimorum est consensus.

Cer-

Certe Paulus , ut turpe viris esse doceret comam gestare , nihil aliud I. ad Cor. II. quam naturae legem ad Corinthios scribens allegavit : et in epistola, quae est ad Romanos , tantum tribuit naturae legibus , ut in eis ad Ad Rom. 2. bene sancteque vivendum gentibus lege vacantibus satis dicat esse praesidii , ut appareat naturae leges absque temporis discrimine divinis esse annumerandas : leges enim naturae tamquam ab immortali capite fonteque perenni manare constat ab aeterna lege , quam Augustinus Dei voluntatem esse definit , quae ordinem naturalem Lib. I. de Libere arbit. conservari jubeat , contraque vetet perturbari. LEOP. Naturae leges , Democrates , nullis neque divinis neque humanis institutis abrogari posse , satis est a te , me nihil refragante , declaratum . Sed video nos a proposito jam dudum aberrare : utrum bellum gerere , quod mihi non videtur , Christianis sit permissum , quaerebamus ; tu nescio quo pacto sermonem ad naturae leges avertisti.

X. DEM. Age igitur , Leopolde , explica nobis , utrum bellum aliquod duce natura suscipi putes , an secus : et jam videbis , nihil nos a scopo declinasse : si enim illud dederis , et constare nobis voverimus , qua ratione Judaeis , eadem etiam Christianis bellare permissum esse confitebimur : sin aliter , aliqua tamen fundamenta superiore sermone jacta fuerint , ad propositam quaestionem dijudicandam . LEOP. Mihi vero longe aliter videtur , bella initio praeter naturam ab immanibus hominibus , et certe ab iis , qui naturam optimam regnandi habendique cupiditate et ambitione corrupissent , orta esse : sic enim traditum est nobis a majoribus , eademque post non alia ratione suscipi . Egone , quod est humanae vitae maxime perniciosum , et praeclaras saepe civitates ac optime institutas regnaque evertit , hoc putem duce natura administrari ? id ad summam , in quo vincimus belluarum immanitatem ? Quando enim leones cum leonibus bella gessere ? quando cum tigribus tigres ? DEM. Bellum igitur ad alterius injuriam suscipere , contra naturae legem esse dicis , ob eam opinor causam , quod est injustum natura . LEOP. Sic prorsus existimo . DEM. Bella ergo natura justa nonne jure naturae suscipi confitebimur ? LEOP. Certe , si justa sint , ego tamen nullum bellum natura justum esse contendo : nam quod a lege divina dissentit , id quomodo potest cum lege naturae consentire ? DEM. Quam vere , mox videro , certe constanter respondes . Sed jam quid sit natura justum constituamus , et quid vicissim injustum : ut haec in bello considerantibus , planius , quod quae-

Quid sit natura justum, seu lex naturalis.

Rbe. ad The. lib. 1.

Ethic. 10.

Ethic. 3.

Ethic. 10.

Quorum iudicio standum sit de bonis et malis rebus.

quaerimus, appareat: et, si placet, Aristotelem summum philosophum auctorem adhibeamus, qui *Justum natura id esse*, definit, *quod ubique habet eandem vim, non quia sic placuerit, aut secus*: vides, ut verba illius ex quinto *Ethicorum Nicomachiorum* libro ad verbum expresserim, ne, quod auctore Cicerone in quibusdam reprehendo, verba Graeca, dum Latine loquor, inculcarem. Id porro ubique vim eandem habere, docti viri interpretantur, quod est tale sponte sua, non quia sic placuerit legislatori cuiquam, aut alicui civitati: exempli causa, legatos comiter tractare, justum est sponte sua: eosdem pulsare, vicissim injustum: reddere et negare depositum, eodem modo. Quod quia hominum consensu et usu dijudicatur, idcirco jus gentium a jure peritis appellatur eodem philosopho auctore, qui alio in loco legem civilem vocat propriam, utpote unius gentis aut civitatis: naturae vero, communem, qua scilicet utantur omnes nationes: id commune justum, aut vicissim injustum esse declarans, quod esse tale omnes homines velut divinatione quadam naturali interpretantur. Numquid tibi videor recte quid justum natura, quid injustum sit, statuisse?

XI. LEOP. Non habeo, quid contra dicam. Nam quod omnibus videtur, hoc verum esse facile philosophis assentior, idque iudicium esse naturae, certum habeo: sed isto modo, vereor, ne nihil nobis justum natura relinquatur. Quid enim tam justum est, de quo in iudiciorum tam infinita varietate idem omnes homines non dico mundi, sed unius civitatis eodem modo iudicent, cum etiam in rebus, quarum iudicium est in sensu, interdum sit magna dissensio, eundem cibum alio dulcem, alio diversum iudicante?

DEM. Esto bono animo, Leopolde, nam te isto scrupulo facile idem Aristoteles explicabit: ut enim res dulcis, vel calida sit, an secus, credimus sensui recte valentium, nec movemur, siquid contra videatur aegrotantibus: sic, inquit ille, in bonis malisque rebus discernendis, hoc est in virtutibus statuendis ac vitiis, bonorum iudicio standum est, quorum mens sana et animus habetur; non improborum, in quibus aegrotat utrumque: virtus enim et virtute praeditus recte iudicat singula, est enim quasi mensura, et expectandarum fugiendarumque rerum certissima norma. Cum aliquid igitur hominum communi sententia honestum vel turpe, justum aut vicissim injustum esse dicimus, prudentium studiosorumque iudicia volumus intelligi, non etiam perditorum et pravis tum opinionibus tum

tum etiam moribus corruptorum : nec si qua gens est adeo barbara et inhumana , ut a sensu communi hominum abhorreat : quamobrem jure consulti in definitione juris gentium non id simpliciter esse ajunt , quo gentes omnes utuntur , sed addunt etiam humanae .

XII. His igitur explicatis , ut quod quaerimus , appareat , jam mihi responde , utrum injuriam in alios inferre non laccessitum , sed suis cupiditatibus servientem , atque alios bonis suis spoliare , injustum putes sponte sua ? LEOP. Certe , si quid aliud : et quoniam id scelus bellis potissimum patratur , idcirco bella contra naturae legem esse dico . DEM. Quid injuriam propulsare , et immerito laborantibus opem ferre ? nonne eadem ratione sponte sua , hoc est , natura justum esse confitebimur ? ut enim magnus orator , et idem philosophus egregius scriptum reliquit , et postea est a divino Ambrosio repetitum in eo libro , quem ipse quoque de *Officiis* inscripsit : *Qui non defendit , nec obsistit , si potest , injuriae , tam est in vitio , quam si parentes , aut amicos , aut patriam deserat* : unde duorum magnorum Imperatorum populi Romani in bello civili voces plurimorum sermone et approbatione celebratae proruperunt , quorum , qui patriae libertatem cum senatu contra sceleratos cives tutabatur , verba , quibus utitur in evangelio Christus , usurpasse traditur : *Qui non est mecum , contra me est* : alter , qui eidem patriae servitutum flagitiosissime moliebatur , sui sceleris conscius vicissim dictitasse fertur , pro se esse , qui non esset contra se . Injuriam igitur vel in socios vel in nos , quibus nihil ipsis carius esse potest , illatam propulsare , eodem modo justum esse dicemus sponte sua . LEOP. Mea quidem sententia . DEM. Cum igitur bello legem naturae violari , si ad alterius injuriam susceptum fuerit , fateamur : nonne idem justum esse naturae lege confiteri necesse est , si ad violentorum injuriam propulsandam , et innocentes defendendum suscipiatur ? LEOP. Ista quidem ratione sic videtur , ego tamen quid praeceperit Christus , et evangelicae doctrinae , de qua initio dixi , meminero : nec Pauli monita huc pertinentia contemsero , qui non dico bella , sed lites , quae sunt multo tolerabiliora mala , Christianis ad Corinthios scribens , his verbis interdicit : *Jam , inquit , omnino delictum est in vobis , quod judicia habetis inter vos , quare non magis injuriam accipitis , quare non magis fraudem patimini ?* Christus et Paulus injurias inimicis nos condonare jubet , tu nos hor-

Cic. 1. Offic.
c. 7.

Matt. 12.

Quaedam
bella geri ju-
re naturae.

1. ad Cor. 6.

hortaris ad injurias persecuendas? quae vera sunt, non possunt dissidere. Aut igitur doce, haec cum illis non pugnare; aut cum Christi et Pauli dictis refragari nefas sit, desine me tuis argutiis ad istas naturae leges revocare. DEM. Aequissima vero conditio, et quam sane lubens accipio. Ut summa igitur paulo altius repetatur, utar, si tibi videtur, paulisper oratione perpetua: tu interim, si quid displicuerit, memoriae mandabis, et postea tuo jure et arbitrato contradices. LEOP. Mihi vero videtur, nec te, quoad voles, interpellabo.

Philosophorum et theologorum placita de summo bono, seu felicitate.

Lib. 18.

I. et 10. *Eth.*

Peripateticorum de summo bono sententia.

EX. 10. *Eth.*

XIII. DEM. Non te latet, Leopolde, multas maximasque fuisse inter philosophorum principes de finibus bonorum et malorum dissensiones, aliis alio summum bonum summumque malum metientibus: legisti enim, opinor, quinque illos libros, quibus hanc quaestionem Cicero, nescio doctius, an elegantius, est complexus. Et quid scripserit ejus aequalis Marcus Varro doctissimus Romanorum, et quo processerit hujus ratio veterum sententias enumerando, non ignoras. Quamquam enim omnes hujus de Philosophia libri injuria temporum interciderint, multas tamen ejus sententias, et eas in primis, quae hunc locum attingunt, diligenter persequitur Augustinus in libris, qui sunt *de Civitate Dei*. Sed ceteris opinionibus magno doctorum hominum consensu olim explosis, nemo fere jam pridem est, quin Peripateticorum et Aristotelis ab Stoicis et veteri Academia vocabulis magis, quam rebus dissentientium disciplinam, ut in reliqua philosophia, sic in hac quaestione, ceteris philosophis anteponat. Peripateticorum porro de summo bono sententia notissima tibi est, et cunctis, qui Aristotelis libros *de Moribus* legerunt, in usu virtutis positum esse finem bonorum, quem ipse jam summum bonum, interdum felicitatem appellat: a quo virtutis usu, quoniam interdum adversa valetudine, alias excludimur egestate, idcirco et corporis et externa bona suppetere ajunt oportere, quibus utimur, partim ut instrumentis ad fungendas virtutes, partim ut rebus necessariis ad vitam liberaliter degendam. Sed cum sit duplex virtus, altera *διανοητική*, altera *ἠθική* Graece nuncupata, Latine autem, ut video, *intellectualis*, et *moralis* consuevit appellari: in alterutrius usu satis esse praesidii putant Peripatetici ad bene beateque vivendum: sed eos tamen beatiore esse, qui cognitioni veritatis vacant, et optimarum rerum contemplationi, quanto scilicet intellectus ceteris animi partibus, ac res divinae humanis ha-

habentur praestantiores. Dissertit autem Aristoteles de ea felicitate, quae potest in hominem mortalem cadere, non de illa, quae ut est, sic vocatur a theologis aeterna vita, quam efficit clara apertaue Dei contemplatio: sic enim Christus patrem alloquitur: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum*: quod nemini datum esse constat in corpore mortali, praeter Christum, de Mose et Paulo quaerentibus eruditis. *Nunc enim videmus, ut testatur Paulus, per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem: cumque apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est.* Quamquam ne hanc quidem felicitatem philosophus intactam reliquit, nisi quod ipsam non hominibus tribuit, sed diis immortalibus, quos semper tradit esse beatos.

XIV. Ut igitur summorum philosophorum ratio vitam sapientium, qui Dei vitam, quatenus mortalibus est datum, aemulantur, cunctis praefert longo intervallo, eos tamen, qui in reipublicae aut ejus partium administratione cum virtute sunt occupati, a felicitate non excludit: sic Christianis intelligere oportet, duplicem esse vivendi rationem, utramque honestam et religioni consentaneam, sed quarum altera longe alteri praeferatur. Hanc duplicem vitam, ne longius abieris, Christus ipse non obscure in duabus sororibus Martha et Maria significavit, ejusque discrimen aperuit. In Martha enim, quae hospitem Christum liberaliter excepit, et sedula in eam curam incumbibat, ut benigne ipsum ac civiliter tractaret, quid aliud intelligimus, quam eorum vitam, qui colendis morum virtutibus se dedunt, et rebus agendis accommodantur? Nam in Maria, quae sedens ad pedes Christi, verbis ejus erat intenta, philosophantium contemplantiumque vita haud dubie significatur. Cui quoniam Martha multorum errorem secuta, vitam civilem praeferebat, dum sororis otium apud Christum incusaret, sic ejus expostulationi Christus occurrit, ut utramque vitam honestam esse doceret, sed contemplantium multo praestantiolem. Nam *Martha, Martha, inquit, sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium, Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea*: quasi diceret: qui in re gerenda versantur, ac student honestarum rerum administrationi ut Martha, hos, quamquam ipsorum vita laudanda est (nam cum virtute humanis tum necessitatibus servit, tum etiam commodis) tamen multis saepe sollicitudinibus implicari, et turbulentis curis angere necesse est. Qui vero Ma-

riam

Jo. 17.

1. ad Cor. 13.

Ethic. 10.

De vita activa et contemplativa, et utriusque praeceptis.

Luc. 10.

riam imitantes investigandae veritati et divinarum rerum contemplationi vacant, horum vita tranquilla et serena est, atque longe perfectior: quippe cum eam, quoad licet, aemuletur, quae justos et amicos Dei vere beatos, cum ex hac vita migraverint, efficiet. Sed *unum est*, inquit, *necessarium*, alterutrum enim, virtutem morum aut intellectus colere necesse est, ut recte vivatur. Nam qui utraque neglecta, vecordiae se ac turpitudini dederit, is non dico a Christianorum, sed ab hominum consortio repelli exterminarique debet.

Aug. de verb.
Domini.

XV. Nam si quis forte tam stupidus est, ut putet Marthae officium ac liberale opus a Christo fuisse improbatum, legat Augustini libellum, quem scripsit *de Verbis Domini*, ubi hunc Evangelii locum enarrat, et quantum sententia fallatur, intelliget. *Quid ergo, inquit, putemus, reprehensum esse ministerium Marthae? quam cura hospitalitatis occupaverat, quae tanto hospite laetabatur? Hoc si verum est, omittant homines egentibus ministrare, vacent verbo, occupentur circa scientiam salutarem, nihil eis sit curae, quis peregrinus in vico sit, quis egeat pane, valeant opera misericordiae, instent uni scientiae. Non ergo dominus opus reprehendit, sed munus distinxit: sequitur enim, Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea; non tu malam, sed illa meliorem.* Haec Augustinus. Sed apertius etiam Gregorius sese hujus sententiae gravissimum auctorem exhibuit, cujus verba ea sunt in *Moralium* sexto libro: *Per Mariam, inquit, quae verba residens audiebat, contemplativa vita exprimitur. Per Martham exterioribus obsequiis occupatam activa vita significatur: sed Marthae cura non reprehenditur, Maria vero laudatur: quia magna sunt activae vitae merita, sed contemplativae potiora.* Utraque igitur vita, non modo doctissimorum hominum, sed Christi Dei judicio probanda est, et homine Christiano digna. Contemplatio tamen longe anteponitur actioni. Neque vero solum probanda ea vita est, quae in rebus agendis versatur, sed ad hominum naturalem societatem tuendam necessaria; et hic fortasse commodissimus et germanus est intellectus verborum Christi dicentis: *Porro unum est necessarium.* Nam cum duas inter se vivendi rationes compararet: unum, id est, earum alteram vitam, quae rei gerendae accomodatur, necessarium esse dicit ad vitam degendam. Nam si ut Maria, item Martha, rerum ad convivium necessariorum omissa cura, nihil aliud, quam au-

audiendo Christo ejusque doctrinae vacasset, quis famulis et ancillis non suppetentibus cibos coxisset? quis mensam instruxisset? quis cetera ad coenam necessaria parasset, Christoque et apostolis recumbentibus ministrasset? Ut haec igitur munia, quibus nobis tota rerum agendarum ratio significatur, necessaria sunt ad privatos et paucorum usus, sic ad mortalium coetus, hoc est, civitates conservandum plurimos esse necesse est, qui reipublicae praesint, Reges, Consules, Praetores, Senatores, Aediles, et ceteros pro cujusque reipublicae forma magistratus: adde bellorum, si exstiterint, Imperatores, Legatos, Tribunos militum, Centuriones, et reliquos praefectos.

XVI. Sed quamquam haec vita honesta est, et maxime necessaria: illa tamen, quam elegerat Maria, dum vacaret contemplationi, perfectior est et praestantior. Nam et artium ac disciplinarum, non ut quaeque maxime necessaria est ad vitam degendam, sic habetur praestantior: isto enim modo pistorum, coquorum, textorum sutorumque artes primum sibi locum jure necessitatis vindicarent; sed contra sese res habet, et quanto minus doctrina quaeque necessitatibus aut commodis humanis servit, tanto ceteris doctissimorum hominum judicio praestat. Prima enim philosophia, quae eadem Theologia nuncupatur, idcirco habetur omnium scientiarum nobilissima, quoniam non in rebus necessariis aut utilibus humano generi versatur, sed majus quiddam et sublimius spectat in cognitione veritatis, et contemplatione divinarum rerum occupata: quapropter philosophus hanc esse nobilissimam scientiarum praefatus: *Omnes igitur, inquit, sunt hac magis necessariae, praestabilior vero nulla.*

Doctrinarum et artium quae quibus praeferrantur.

2. *Metaphys.*

XVII. Cum ergo neutra vivendi ratio sit per leges Christianas interdicta, utriusque praecepta et a Christo in evangelio, et ab apostolis tradita sunt in epistolis: partim necessaria, eademque sufficientia ad recte et ex Christiana religione vivendum: haec autem sunt Decalogi praecepta, ad quae naturae leges omnes referuntur, et quibus vita civilis contenta est: partim commodissima ad vitam alteram perfectiorem degendam, ad quam Christus et apostoli non verbis solum, sed multo etiam magis opere ac exemplo nos adhortabantur. Ejus generis ea sunt, quae tu, Leopolde, paulo ante ex evangelio et Pauli epistolis objiciebas, de contumeliarum et rapinarum tolerantia, et item de universa substantia distrahenda,

et pauperibus largienda, de coelibatu, de virginitate. Quam praeceptorum vim et discrimen, ne sine auctore locuti esse videamur, Christus ipse nobis, ut est in evangelio, apertissime declaravit, qui, cum in monte sedens his potissimum et talibus monitis discipulos ad se Deumque, quatenus licet, imitandum adhortatus esset, ut se doceret non leges dare, quibus praetermissis, recte vivere non liceat; sed viam monstrare ad eam, de qua diximus, vitam perfectissimam, illud adjunxit: *Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* Idemque rogatus a quodam, quid boni faciens, vitam aeternam consequeretur, respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Rursus de praeceptis inquirenti, et num quid novi Decalogo adderet, addubitanti, illis connumeratis: *Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non falsum testimonium dices: Honora patrem tuum et matrem tuam:* praeceptum caritatis adjecit: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum:* in quo sermone omnis lex, ut Paulus ait, impletur, et in quo omnia, ut idem alibi ait, instaurantur. Cum haec ergo necessaria, et in eis satis virium esse ad aeternam vitam obtinendam docuisset: *Si vis autem, inquit, perfectus esse, vade, et vende omnia quae habes, et da pauperibus, et sequere me.* Potuitne Christus necessaria praecepta, quae in Decalogo continentur, apertius distinguere ab aliis, quae, quia non habent vim legis obligantis, sed exhortationis ad meliorem perfectioremque vitam, idcirco consilia magis, quam praecepta vulgo solent a theologis nuncupari, late patentem praecepti notionem ad legis dumtaxat intellectum angustius docendi causa revocantibus? Itaque male merentem male accipere, justitiae est; injuriam non repugnanter ferre, perfectionis. Nam percussus dextra maxilla idcirco jubetur, a Christo sinistram praebere, teste Augustino, ut dum vicem non reddit malo, perfectus sit: *Quoniam reddere vicem, justum est, inquit, sed non plenum. Si vero dissimulet ab injuria, plena justitia est et abundans.*

XVIII. Ut igitur in pauca conferamus, quae paulo latius, quo minus in re dubitationis relinqueretur, explicuimus: vides, ut bellum non modo non sit contra legem divinam, cum a fonte justitiae, ut saepe accidit, exoritur, sed auctore Deo suscipiatur. Quod enim duce fit ac magistra natura, id auctore Deo fieri, satis, ut arbitror, est declaratum. Deus enim, ut prima causa est universae

Lutherano-
ram argu-
menta sol-
vuntur.

na-

naturae, sic ordinem vivendi a natura praescriptum semper in primisque teneri et observari vult: tantum abest, ut quidquam statuatur naturae legibus adversum. Nullum est autem decretum nec justius, nec quod natura magis velit esse ratum, quam ut primum sese ac sua quisque; deinde socios sociorumque libertatem et comoda tueatur. *Nam qui suorum, ut Paulus ait, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior; ad quod praestandum et improborum injurias propulsandas quae bella suscipiuntur, haec magistra natura Deoque duce suscepta esse non putare, vide ne hominis esse videatur abjecto maximeque demisso animo, et prorsus in vi rerum cognoscenda caligantis. Nam culpae bella propterea quod quidam in eis immatura morte delentur, dum pacem quaerunt, qui certe aliquando erant morituri, timidorum est, inquit Augustinus, non religiosorum: nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacatus animus, feritas rebellandi, libido dominandi, et si qua similia, haec sunt, inquit, quae in bellis jure culpantur. Ad quae jure punienda adversus violentias resistentium, sive Deo sive aliquo legitimo imperio jubente, gerenda ipsa bella plerumque a bonis suscipiuntur. Unde Gregorius in epistola ad milites Neapolitanos: Summa, inquit, militiae laus inter alia bona merita haec est, obedientiam reipublicae utilitatibus exhibere, quidquid sibi utiliter imperatum fuerit, obtemperare. Ergo qua ratione Abrahamo, qui legibus naturae vivebat, et Judaeis, accepta lege, fas justumque fuit belligerare, eadem Christianis bellum gerere fas est. Noli, ait idem Augustinus, existimare, neminem Deo placere posse, qui in armis bellicis ministrat: in his erat Sanctus David, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium; in his etiam plurimi illius temporis justis; in his erat Sanctus ille Centurio, qui Domino dixit: Non sum dignus, ut intres sub tectum meum: pacem, inquit, habere voluntatis est, bellum autem esse debet necessitatis, ut liberet Deus a necessitate, et conservet in pace. Subesse igitur debet justa causa; quod ita demum fiet, si bello nihil aliud quaesitum fuerit, quam pax, maxima civitatum ac societatis humanae conservatrix, et in qua tuenda vita civilis tota propemodum est occupata, nimirum in republica recte ac sapienter instituta.*

XIX. Quod vero in castigatione Petri injuriam a Christo armis propulsare conantis argumentum esse putas, non licere Christianis adversus impiorum violentiam armis se defendere, et vim

Explicantur rationes, quibus Leopoldus probare volebat omne bellum esse fugiendum.

repellere ; videris mihi illum evangelii locum aut oblitus esse , aut non perlegisse . Castigato enim Petro , castigandi causa subjungitur : *An putas , inquit , quia non possum rogare patrem meum , et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum ? Quomodo ergo implebuntur scripturae , quia sic oportet fieri ?* Itaque non legem in eo sanxit omni naturae repugnantem , ne liceat improborum injuriam vi , si aliter non datur , propulsare : sed imprudentiam ejus castigat , qui Christum putaret invitum ad necem trahi , a qua esset humana ope , qui angelis imperare poterat , eripiendus , et non potius sponte sua , ut praedictum erat prophetarum vaticiniis ex decreto Trinitatis . *Si enim Christiana disciplina , ut ait Augustinus , omnia bella culparet , hoc potius militibus consilium salutis petentibus diceretur , ut abjicerent arma , seque militiae omnino subtraherent : nunc autem dictum est eis a Baptista Joanne , Neminem concusseritis , nemini calumniam feceritis : sufficiat vobis stipendium vestrum .* Nam quod bellum tibi contra naturae legem videri dicebas , propterea quod nullae bestiae cum sui generis animantibus bellum gerere videantur : primum erras in eo , si putas nullum esse jus naturae , quod non sit idem hominibus cum ceteris animantibus commune . Quamquam enim jus naturale id esse , quod natura docuit animalia cuncta , jure consultus definierit : est tamen jus alterum , quod quia rationis hominum generi , seu speciem majoris appellari , peculiariter tributae vim et judicium assectatur , idcirco jus naturae humanae scilicet , et idem jus gentium , de quo paulo ante disserebamus , nuncupatur .

In epist. ad
Marcellinum.

Luc. 3.

A bestiis etiam bellum
geri jure naturae.

XX. Deinde animalia cetera non protinus a bellis aversa videri debent , si raro quae sunt in eodem genere , aut numquam pugnant inter se . Habent enim pleraque omnia suos hostes , sed in specie diversa . Non gerunt bellum tigres cum tigribus , at gerunt canes cum lupis , his pecori injuriam et necem hostiliter molientibus , illis innata quadam amicitia et quasi justitia depellentibus . Quid vaccae ? quid equae et mulae ? quid sues ? ut ceteras taceam id genus animantes , nonne luporum ipsae , aliorumque maleficorum animalium catervas adesse sentientes , sese duce natura in orbem velut infestam aciem instruentes colligunt , et paratae ad pugnam in excubiis nonnumquam pernoctant , et irruentibus hostibus validissime repugnant , se suosque foetus cornibus , dentibus , calcibus , prout quaeque armata est a natura , quoad vires suppetunt , com-

mis-

misso certamine defendunt? Itaque non solum ratio, ac prudentium hominum consensus, mosque coetaneus hominum memoriae, bello injurias a se, et iis, qui suae cujusque curae fideique commissi sunt, propulsare justum natura esse docet; sed etiam vis innata, quae ceteras animantes ad se suaque tuendum ac defendendum impellit: ut non incommode homines injustos caedibus et rapinis statum reipublicae perturbantes, pacem bonorum sollicitantes, tamquam lupos esse dicas et malefica animalia: civitates et populos quasi pecus et armenta: reges et principes, velut pastores: praesidia militum, ceu canes pecuarios. Quam similitudinem priscis etiam poëtis et philosophis placuisse in primis animadverti. Homerus enim, qui solet pater omnium doctrinarum appellari, non aliter fere principes vocat, quam pastores populorum: et in veteribus sacrarum litterarum monumentis Esaias, Hieremias ceterique vates ad eas res significandas vix aliis nominibus utuntur. Sed quid profana, aut prisca testimonia commemoro, cum evangelicam doctrinam et Christum ipsum auctorem habeamus, qui se *bonum pastorem*, homines, pro quibus animam posuit, *oves* et *gregem*, fraudulentos porro et nocentes *lupos rapaces* passim appellat in evangelio?

Cur reges et
antistites vo-
centur pasto-
res.

XXI. Ut igitur pastoris est officium gregem prudenter pasce-
re, et, cum res poscit, lupis ceterisque feris insidiantibus aut of-
ficientibus pecori, sese atque canes opponere: sic principis partes
sunt, non solum civitatis otio consulere, et populos suos in of-
ficio sine aliorum injuria aequabili jure continere; sed etiam impro-
borum hominum injuriis, quae saepe existunt, vi et armis, si a-
liter non datur, resistere: sive privatim inter cives legibus negle-
ctis, sive publice ab externis hostibus inferantur. Nam qui ho-
stibus ingruentibus per ignaviam cedit, nec strenue manu coacta
cunctis opibus atque viribus vel cum vitae suae discrimine repu-
gnat, nec res injuste ablatas repetit, poenasque sumit de sontibus
legitimas (haec enim fere sunt justissimae causae belli gerendi) is
non principis officio fungitur, sed populos suae fidei commissos sce-
leratissime prodens, simillimus est mercenario, quem Christus ma-
xime damnat in evangelio: *Nam mercenarius, inquit, qui non
est pastor, cujus non sunt oves propriae, videt luum venientem,
et dimittit oves, et fugit, et luum rapit et dispergit oves. Ego,
inquit, sum pastor bonus, et animam meam pono pro ovibus meis.*

Causae justi
belli.

Joan. 10.

Epi-

Quae bella
et arma epi-
scopis conve-
niant.

Ad Tit. 1.

2. ad Cor. 10.

XXII. Episcopus ergo, qui Christum optimum et summum pastorem, ac ejus apostolos hac in parte poscente officio voluerit, ut velle debet, imitari, quoniam ejus praefectura et quasi regnum spiritale est, contra improborum peccata, et haereticorum impietates sese primum, deinde suos quasi legatos et centuriones telis apostolicis armabit, innocentia, modestia, temperantia, sanctitate: ut exemplo, item egregia quadam doctrina, ut oratione possit crimina castigare, et prava dogmata redarguere. *Arma enim nostrae, id est apostolicae, militiae non carnalia sunt*, inquit Paulus, *sed potentia Deo ad destructionem munitio, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitate redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam*. Quae arma si a pertinacibus negligentur, coërcebit eos etiam vinculis; desperata porro sanitate, ultima praesidia petet a legibus ecclesiasticis et civilibus, quibus justissime haereticorum pertinacia vindicatur: quorum scelus tanto est reipublicae perniciosius et acrius vindicandum, quam praedonum et grassatorum, quanto pietas et religio externis bonis antefertur.

Quibus ex
causis bel-
lum suscipi
debeat.

In epist. ad
Marcellinum.

XXIII. Princeps autem, quem maxime vellem non minus virtutibus, quam honoribus et dignitate ceteros excellere, primum dabit operam, ut cives aequabili jure contineat, et secundum religionem civilesque leges, deinde turbulentos et flagitiosos meritis poenis prosequetur, ne status reipublicae detrimentum patiatur. Hunc enim quasi scopum spectat doctrina civilis, ut civitas salva sit, ac dignitate et commodis augeatur. Deinde si qua vis ab hostibus in suam civitatem parabitur, aut inferetur, hanc ut sine armis depellat, omni ratione conabitur: sed si hostes nec honesti respectus retardaverit, nec justae dehortationes ac denuntiationes, quae feciali Romanorum jure continebantur, ab injuria deterrebunt; auctore Deo duceque natura, coacta fortium virorum manu, sumtisque armis, ab injustorum hominum immanitate et maleficio libertatem asseret, commodisque suis et suae civitatis ac sociorum prospiciet, (utiliter enim vincitur is, teste Augustino, cui licentia iniquitatis eripitur) nec res ablatas armis repetere aut fontes punire, turpe aut religioni habendum esse putabit: non denique pigebit eum, Abrahamum virum justum et amicum Dei nuncupatum aemulari, qui legem naturae secutus, multis seculis ante scriptas leges Hebrae-

braeorum bellum adversus quatuor reges exsultantes victoria suscepit, et praeda onustos fudit ad Damascum, et spoliavit: a quo bello redeunti benedixit Melchisedechus sacerdos Dei altissimi, eundemque Deo benedictum appellavit, quippe cum munere functus esset, quod Deo sciebat esse pergratum. Gen. 14.

XXIV. Qui ergo bella cupit a mentibus hominum aboleri, rem cupit optimam, et omnium maxime humano generi salutarem: sed tunc jubeat bonos justosque viros arma in alios usus vitae humanae necessarios conflare, cum injustitiam et scelus penitus a facinorosorum animis extirpaverit. Nisi enim lupos sustuleris et malefica animalia, numquam pastori persuadebis, ne utatur praesidio canum. Hoc enim esse principis officium, et civilis vitae rationi convenire, Christi evangelica verba declarant apertissime, qui licet ipse perfectiorem spiritalemque vitam delegisset, et propterea rogatus, an Rex esset, suum *regnum non esse hujus mundi* respondisset, illud tamen adjecit, *si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent*. Nisi forte tam stupidi et in rerum intelligentia tam plumbei sumus, ut putemus a Christo damnata fuisse regna et principatus civiles, ab hominibus duce natura, vel a Deo potius constitutos. *Non est enim potestas, ut testificatur Paulus, nisi a Deo, et quae sunt, a Deo ordinatae sunt*: at Christus: *Deo, quae Dei, Caesari, hoc est regibus et principibus, quae Caesaris sunt, reddi jussit: nec jussit tantum, sed etiam tributum, stare dato, pro se solvit atque Petro, quamvis ipse liber esset ac immunis: ne si tribuere postulatus recusasset, ceteris exemplo noceret, qui factum Christi, quem fas est, quoad licet, imitari, secuti nihilo fortasse magis sibi, quam ei pendendum esse tributum stulte existimassent. Cur porro principibus tributa penduntur? Num ut mare praedonibus infestantibus, aut dum hostes agros rapinis et maleficio devastant, ipsi desides in umbra fruuntur voluptatibus, et otia pacis pereunte republica supini et ignavi specie religionis praetenta consectentur? Ludebat igitur Paulus cum principem negaret sine causa portare gladium, hoc est, armatorum habere praesidia, quem tamen Dei ministrum appellat, et vindicem irae ad malorum conatus, non magis opinor intra, quam extra civitatem reprimendos. Nam ideo, ait, *tributa praestatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes*. Quibus cum nos parere, ipsorumque dicto tum ad Romanos, tum etiam ad Titum scribens audientes esse Joan. 18.*

Ad Rom. 13.

Marc. 12.

Matt. 12.

N. B.

Ad Rom. 13.

Ad Tit. 3.

prae

1. Petr. 2.

praeceperit : putabimusne , qui nos ad omne officium principibus praestandum adhortatur , hunc operam militarem , saepe necessariam , et pro libertate patriae , pro liberis et uxoribus , pro aris demum et focis suscipiendam exclusisse ? aut aliter sensisse , quam Petrum apostolorum principem , qui nos *subditos esse jubet omni creaturae propter Deum , sive regi quasi praecellenti , sive ducibus tamquam ab eo missis , ad vindictam malefactorum , laudem vero bonorum , quia sic est voluntas Dei ?*

Aug. in Josue q. 10.

Aen. 2.

Josue 8.

De dolo et insidiis in bello permisis.

XXV. Nec enim bellum justum esse putatur , quod non sit principum aut magistratum auctoritate susceptum , nec si quod fuerit causis neque necessariis , neque honestissimis , quales supra memoravimus , quaesitum . Itaque non sine magno crimine bellum geri puto ab iis , qui contra Christianos operam suam militarem locant principibus externis , cum quibus nullam habent societatem : eoque magis , si de causae ipsorum honestate , quod plerumque accidit , ambigatur : tales enim tantum abest , ut bellum gerant pacem spectantes , qui animus adesse debet juste bellantibus , ut hanc exosi cupiant etiam gentium dissensiones et turbas : quod est omnino contra virtutem et religionem . Bello autem legitime suscepto , ad gloriam fortitudinis aliquid , ad justitiam , teste Augustino , nihil interest , aperte pugnetur , an ex insidiis : ut enim ait poeta : *Dolus , an virtus , quis in hoste requirat ?* quando id non modo ab optimis etiam viris omni memoria factitatum esse constat cum approbatione gentium , sed in sacrarum litterarum monumentis legimus , fuisse a Deo imperatum Josue bellum gerenti cum civitate Hai , ut insidias tenderet oppidanis . Itaque licet hostes fallere , insidiari , strategematis circumvenire : loquor enim de his artificiis , quae more hominum ac jure gentium permittuntur , non de perfidia et dolo malo . Nam fides data etiam hostibus est servanda , et pactis ac pollicitis standum .

De bellis civilibus et intestinis.

XXVI. Neque vero solum cum externis legitimisque hostibus justa bella gerere conceditur Christianis ; sed etiam cum scelere improborum hominum tyrannidem affectantium , aut aliud reipublicae magnum malum vel perniciem molientium , bella civilia existunt , optimi et religiosi civis est , sumtis armis , si aliter non datur , impiis sceleratorum civium conatibus obsistere : inertis enim atque adeo vix hominis esset , domestico malo reipublicae laboranti non cunctis opibus subvenire , sed ceteris de statu rerum dimicantibus ,

socordem esse et otio languere, Cynico vetulo concedentem, ut plus quam ipse pudoris habere videatur. Nam cum Philippus Macedonum rex Corinthum hostili manu appropinquare nuntiatus esset, et Corinthii omnes pro periculi magnitudine commoti, alii arma pararent, alii collabentes muros reficerent, aut lapides reficientibus ministrarent, alii aliis rebus parandis incumberent ad propugnandum necessariis. Diogenes traditur, cum illius opera nullus uteretur, dolium, quod inhabitabat, coepisse in Cranio urbis ejusdem nobili loco diligenter sursum deorsumque volutare. Interrogatus porro, quae causa esset illius inusitati laboris, respondisse, ne ceteris operantibus ipse solus otio torpere videretur. Neque vero solum Diogenis hoc ridicule factum nos potest officii severioris haud mediocriter admonere, sed summi etiam viri et gravissimi Stoici Porcii Catonis, qui virtutem magistra natura studiose percoluit, consilium, quo est usus in bellis civilibus Pompejanis, quid talibus reipublicae temporibus bonum civem facere oporteat, declaravit: qui, cum a principibus factionum multis in rebus causa reipublicae dissentiret, et neutrius mentem plane probaret; bello tamen exorto non sibi quiescendum existimavit, sed eas partes fovendum, quae plus justitiae atque honestatis habere videbantur, Bruto etiam dehortante: ad quem exstat prudentissimum de hac re Catonis responsum:

*Summum, Brute, nefas civilia bella fatemur,
Sed quo fata vocant, virtus secunda sequetur,*

Lib. 2. Phars.
sal. 286.

et cetera, quae carmine vobis noto persecutus est Lucanus. Nec mirum est Catonem integris viribus arma pro republica contra impiorum conatus sumsisse, cum Sestius aetate decrepita, cui alterum crus fuerat in Macedonia mutilatum, deferri se jusserit in castra Pompejana, cui ceteris ridentibus Pompejus assurrexisse occurrisseque traditur, magnum testimonium et utilissimum exemplum ratus, si viri aetate atque viribus exhaustis secum pro libertate publica commune periculum subire cernerentur. Qua de re Solonem Atheniensium legislatorem cavisse refert Aristoteles, ut qui, exorta seditione populari, et scissa in duas partes civitate, neutri se adjunxisset, hic bonis omnibus publicatis, mitteretur etiam in exilium: cujus legis hanc causam reddebat Favorinus philosophus, ut bonorum virorum semper ad pacem spectantium auctoritas, quae initio non

suffecisset ad nascentem seditionem coërcendam, valeret sedatis animis ad dirimendam: cum in consiliis capiendis multo magis credatur sociis de re communi consulentibus, quam alienis, quorum fides plerumque oratioque suspecta est.

XXVII. Sed hujusmodi leges et praecepta in eas potissimum civitates conveniunt, quae suis legibus vivunt, et populari aut optimatum consilio gubernantur. In regia vero republica optimus et prudentissimus quisque principis auctoritatem semper sequetur contra seditiosos populos, ac cives potentiores et turbulentos. Reges enim ac principes, si boni sunt, summa pietate coli debent, quasi praeexcellentes a Deoque missi, ut Petrus ait: *Ad vindictam malorum, laudem vero honorum*: sin mali, omni patientia tolerari, nisi forte ipsorum perversitas et pravitas tanta sit, ut in apertam ac indubitatum regni aut religionis perniciem et eversionem spectet: tunc enim publica salus et verus Dei cultus unius hominis furori ac impietati praeferrari debet, potiorque et sanctior haberi: *Obedire enim oportet*, ut Petrus ajebat, *Deo magis quam hominibus*: cetera vero principum ac regum peccata patienter ferenda sunt, et ad Dei judicium rejicienda: cui placet interdum populos ob ipsorum crimina iniquitate principum affligi: *Nulla est enim potestas nisi a Deo*, ut Paulus testatur, qui nos principibus obedire jubet, Petro Apostolo dyscolis etiam dominis parere praecipiente, hoc est, difficilibus et iniquis: cujus rei clarissimum habemus exemplum Davidis, qui, cum esset rex Hebraeorum divina auctoritate designatus, tamen Saulem genti eidem praeter legem divinam, qua jam erat jure regni privatus, imperitantem, sibi infensum semper est regia veneratione prosecutus: tantum abest, ut vi aut dolo tentaverit ipsum de regno dejicere: et potuit parvo negotio eundem, cum speluncam, in qua ipse latebat, successisset, solum et securum adortus obtruncare.

XXVIII. Num tibi, videor, Leopolde, difficultates, quibus impediobaris, commode satis esse demolitus? an adhuc haeres in salebra, et superest etiamnum, quod tibi velis expediri, longioremque orationem desideras ad quorundam bellorum honestatem asserendam? LEOP. Ego vero, Democrates, profiteor, me oratione tua non mediocriter fuisse delectatum: habet enim tamquam nervos, nec sine lepore adhibet quasi tormenta quaedam ad extorquendam veritatem. Itaque tibi prorsus assentior, juste suscipi nonnulla bella,

ea-

1. Pet. 2.

Act. Apost. 5.

Ad Rom. 13.

Ad Tit. 3.


1. Petr. 3.

Parendum esse regibus et principibus etiam iniquis.

1. Reg. 24.

eademque a legibus evangelicis non abhorrere, nisi si quid contra videtur Alfonso. ALF. Mihi vero numquam fuit dubitabile, quin multa bella justissime et Christianae religioni convenienter gererentur, non solum ad repellendas injurias, aut res ablatas repetendas, sumendasque de sontibus poenas, sed ad subjugandos impios, qui pacem nostram sollicitant, et Christianae religionis hostes, qui piis excidium aut servitutem moliuntur, debellandos: qualia multa gessisse memorantur optimi et in primis religiosi principes, Constantinus et Theodosius Romanorum Imperatores, et cum alii multi Reges Hispaniae, tum in primis Fernandus et Alfonsus: quorum alter *Bonus*, alter *Sanctus* ex argumento fuerunt cognominati: ac ut ceteros principes viros omittam, Rodericus Cidus, cujus nescio gloria bellica, an sanctimonia magis sit nostrarum historiarum monumentis nobilitata: quibus traditum est, his cum impiis Saracenis depugnantibus, multa etiam edita fuisse miracula, piam honestatem talium bellorum significantia. Sed tu mihi, Democrates, quae numquam dubitaveram, magnis rationibus confirmasti, ut Leopoldo bellum omne studiose, ut videri poterat, Christianis interdicens, aut in hoc certe nimis scrupulose disserenti satisfaceres: quod scire cupiebam de rebus privatim intervenientibus, quae militarem vivendi rationem a Christiana disciplina videntur excludere, nihil hactenus, cum jam deambulando defessi simus, explicasti. DEM. Quaestio haec, Alfonse, quam de consensu militiae cum Christiana religione tuo rogatu disserendam suscepimus, tam multiplex est et varia, ut nec paucis verbis possit, nec uno colloquio definiri. Hodie igitur de bello, quae pars primum erat expedienda, disputavimus; cras hic, aut in hortis pontificiis cetera, si videbitur, et otium erit, persequemur.

Qui reges
sancti, et vi-
ri principes
bella gessere.



DE CONVENIENTIA MILITARIS DISCIPLINAE
 CUM CHRISTIANA RELIGIONE

LIBER SECUNDUS.

I. **P**OSTERA igitur die, quam illa fuerant disputata, mane cum Pontifex maximus, ut saepe solebat, in eos hortos, quibus est nomen ab amoeno conspectu, secessisset, primus omnium Democrates venit, ut quemadmodum pridie convenerat, sermonem repeteret, cum Pontifice de rebus bellicis institutum, nec multo post Leopoldus adest. Alfonsus enim postremus omnium advenit, simul ut, valetudine nondum confirmata, vitaret matutinam Vaticani aëris intemperiem, simul ut comitatum augeret Maji oratoris Caesarei, quo interveniente Democratis cum Pontifice colloquium est solutum. Cum igitur illi a turba recessissent, seque amice de more consalutassent, brevi primum de rebus novis sermone collato, jam enim rumor increbescebat, Pontificem ac Caesarem colloquendi gratia Bononiam iterum conventuros: Missa, inquit Alfonsus, ista faciamus, redeamusque ad hesternam disputationem, sedentes tamen, si videatur, in his, quae opportune adsunt, subselliis: sic enim sermo facilius explicabitur, et audietur commodius, a me praesertim, cui nondum satis in pristinam valetudinem restituto obfuit nimia hesterni colloquii deambulatio: tuque, Democrates, qui heri Leopoldum pernicioso errore liberasti, ne graveris hodie tua sapientia scrupulum mihi, quo subinde jam pridem sollicitor, eximere. DEM. Sedeamus, Alfonse, quoniam sic tibi commodum est, et omnino ad colloquendum magis, ut ais, opportunum: sed quo tandem scrupulo te dicis sollicitari?

Argumenta
 potissima,
 cur fortitudo
 videatur ad-
 versa Chri-
 stianae reli-
 gioni.

II. ALF. Virtus et gloria militaris saepe in rebus extra bellum publica auctoritate susceptum incidentibus, non posse mihi videntur angustiis Christianarum legum contineri. DEM. Quae te, malum, ratio, aut quis potius error detrusit in tam vanam persuasionem? ALF. Lex Christiana jubet, injurias patientissime ferre, et humanam gloriam pro nihilo ducere; militaris animus tunc maxime probari videtur, cum ne minimae quidem contumeliae patiens, inimicorum injurias constantissime persequitur, ac mortem ignominiae praeferens, nullum recusat periculum, ne quam gloriae laudisve jactu-

cturam patiatur. Haec mihi non videntur inter sese cohaerere, nec mihi solum, sed plerisque etiam aliis, ut video. Hoc est enim, nisi fallor, caput illius querelae militaris, de qua hesterno sermone meministi: qua solitudine si meum animum explicueris, magnas tibi immortalesque habebō gratias, credo item et Leopoldo rem fore pergratam, qui mihi heri videbatur his quoque rebus nonnihil commoveri. LEOP. Mihi vero gratius nihil posset contingere. DEM. Dabo equidem operam, ut vobis morem geram. Sed antequam ad argumenta per vos allata respondeo, ut via et ratione philosophemur, necessarium esse puto, aliqua de virtutibus eis disserere, quibus potissimum miles prudentium iudicio commendatur: ut his contrariisque vitiis perspectis, quod sit officium boni militis, quid ab eo discrepet, intelligatur. Laus enim virtutis est, et quo effici-
Ari. I. Ethic.
 tur res quaeque bona, id virtus a philosophis nuncupatur, in hominibus quidem suo nomine, in ceteris rebus per similitudinem ac translationem. Nam bonus magnes dicitur, et bonus equus, cum hic bene currit, ille ferrum bene allicit; et hae virtutes ipsorum appellantur: bene namque sua virtute, ut tradidit Aristoteles, res quae-
I. Ethic.
 que perficitur. Cum igitur bonum gubernatorem dicamus, si quis bene et ex arte dirigat navigium, bonum patrem familias, qui recte curam gerit rei familiaris, et ceteros eodem modo: quam demum virtutem ab eo postulabimus, qui se velit et esse, et bonum militem appellari?

III. ALF. Homines prudentissimi, qui rei militaris praecepta litterarum monumentis tradidere, multa praecipunt observari in milite deligendo. Qua enim regione ortus quisque sit, interesse putant, temperatas ceteris omnibus anteferentes, quales esse ajunt,
Signa fortis et robusti militis.
 quae quarto et quinto climate continentur. Nam quae ad septentrionem propius accedunt, in his robustiores quidem animos, et magis intrepidus, sed tardiora ingenia provenire: ad meridiem contra intelligentia praestantes homines, sed infirmiores animis ad subeunda pericula generari: ad medium autem homines nasci utraque re, quantum satis est, valentes: qui nec in consiliis capiendis intelligentia, nec in subeundis periculis animo deficient: quorum alter sine altero plane infirmus est ad bella gerenda. Praeterea in corporis habitudine magna esse momenta conscribunt. Nam staturae proceritatem, latitudinem pectoris, membrorum agilitatem plurimum spei dare roboris et virtutis confirmant. DEM. Ista, Alfonse,

se, signa sunt hominis bellicis muneribus accommodati, et quidem nec vana, nec contemnenda. Nam quae civitates rerum potitae sunt, has fere uti caelo temperato nemo ignorat, ut Athenas ac Lacedaemonem in Graecia, et in Italia Romam, quae omnium maxime longe lateque terrarum imperium tenuit. Item quorum virorum bellica virtus maxime nobilitata est, horum plerique et procero corpore, et lato pectore fuisse traduntur, ut Homero auctore, cum alii proceres in bello Trojano, tum maxime Aeneas et Hector ex Trojanis, ex Graecis Telamonijs Ajax et Achilles: quales ex Romanorum principibus Julius Caesar et Trajanus Latinis historiis fuisse memorantur.

Exempla vetera et recentia signorum fortis militis. Gonsali Magni, Jacobi Mendozae, Jo. Urbinae, Jacobi Garsiae Paredes laus.

IV. ALF. His ego addam non vetera, nec aliena, sed meae memoriae meaeque gentis exempla clarissimorum virorum, qui bellis Italicis claruere. Tales enim fuere Gonsalus Magnus, Jacobus Mendoza, Joannes Urbinas, ac ut ceteros taceam, Jacobus Garsias cognomento Paredes, cui si corporis et animi robori par ingenium et mentis valetudo contigisset, nemo sub Gonsalo Magno meruit stipendium (quamquam ex ea militia multi praestantissimi viri velut ex equo Trojano prodierunt) qui justius hominum consensu tali imperatori successisset: nunc autem, ut audio, paene miles sequitur Carolum Caesarem, ab ipso in militiam ex Hispania revocatus, nec senex desinit magna documenta vigentis adhuc virtutis cum admiratione omnium exhibere. DEM. Opportune tu quidem et merito tales tantosque et duces et milites in exemplum attulisti; poteras et summos viros ex Italis gentibusque aliis commemorare, quorum bellica virtus his quoque et bellis et temporibus enituit. Sed quamquam tales regiones et viri aptiores esse putentur ad bella gerenda, tamen extra illam etiam, de qua loquimur, quaeque maxime probatur, locorum temperaturam populos esse certum est, fortes simul, et in obeundis administrandisque bellicis muneribus prudentes. Carthaginenses enim tertio climate continentur, Astures et Cantabri sexto: constat tamen, minus negotii fuisse Romanis in cetero orbe subjugando, quam in his populis pacandis, quippe a quibus multa maximaque damna retulerunt, iniquis subinde foederibus adacti, saepe de summa rerum periclitantes: et a Germanis videmus bella magno non solum animo, sed etiam consilio geri. Nec secus de singulis hominibus censeo brevis staturae multos et esse et fuisse praestanti animi magnitudine, qualis Tyde-

deus heroicis temporibus fuit, carmine quoque Homérico celebratus. Et quoniam tibi exempla nostrae memoriae placent, Bartholomaeus Albanus, Petrus Pacius, Ugo Moncada, et ne singulos memorem, Fernandus Avalus, Marchio Piscarius, in quo duce praestanti magnam nuper jacturam fecit exercitus Caesarianus. Non enim tauri robur aut elephantis ad obeunda facinora desideratur, sed virtute animi res praeclarae geruntur, adsint modo vires ingenuae, quibus brevis staturae homines plerique non destituuntur. Loquor autem de militaribus muneribus, quae manu et armis obeuntur, non de officio imperatoris, quod nullas interdum vires corporis requirere, ne longius abieris, testis est hac aetate locupletissimus Antonius Leiva: quo duce tenui ac nulla potius valetudine inclitas victorias in Cisalpina Gallia propter animi ejus et consilii magnitudinem Hispanorum parva manus de multo majoribus copiis reportavit.

Exempla fortium virorum brevis staturae vetera et recentiora.

Antonii Leivae animi robur in infirmo corpore.

V. Ceterum aliud est de indole et bellicosi viri signis, quae a regione et corporis habitudine sumuntur, aliud de virtute dissere-re, qua censetur bonus miles, quae cum habitus quidem animi sit, non in spe quadam posita est, sed ex multis studiosis actionibus ingeneratur. Hanc ego quam demum esse putares, interrogabam; tu de indiciis militaris animi respondisti. ALF. De virtute nemo dubitat. Nam quem fortem et magnanimum putant, hunc bonum militem et dicere omnes, et sentire solent. DEM. Fortitudo igitur et magnitudo animi est, qua bonus miles efficitur. ALF. Haud dubie. DEM. Qui negat ergo, bonum militem posse Christianorum legibus satisfacere, is fortitudinem et magnitudinem animi a Christiana religione dicit abhorrere. ALF. Mihi quidem ita videtur; sed malletem te ista cum Leopoldo disputare, ne ipse vel inepte respondendo retardem orationem tuam, vel bona causa videar ob inscientiam cecidisse. Age igitur, Leopolde, jam tu pro utroque responde: nonne tibi sic videtur? LEOP. Qui potest non videri? cum prior dato, posterius sit necesse confiteri. DEM. O miseram igitur conditionem Christianorum, si quatenus religioni serviunt, nullum est eis cum virtutibus commercium. LEOP. Commercium est vel maximum cum justitia, prudentia, liberalitate, continentia, et ceteris omnibus virtutibus, quae homines inter ipsos benevolentia quadam et humanitate conciliant: fortitudinem vero et magnitudinem animi, ut tumidiores scilicet et intractabiliores virtutes refugiunt. DEM. Qualia officia ducantur a fortitudine et magnanimitate, postea, si

Quae virtutes bonum militem efficiant, et de virtutum connexionem.

*Ethic. 4.**Ethi. 6.*

videbitur, disseremus: nunc autem positum sit, nec enim arbitror inficiaberis, has et esse, et in moralium virtutum numero a philosophis reponi, praesertim ab Aristotele, qui animi magnitudinem ceteris omnibus anteponit. LEOP. Quid tum postea? hoc enim nemo est qui inficias eat. DEM. Philosophorum consensus est, et idem Christianorum, sic omnes virtutes esse inter se connexas et consociatas, ut una sublata, omnes tolli sit necesse; quam veterum philosophorum sententiam Hieronymus in primis et Augustinus principes theologorum confirmarunt: quorum alterius ea verba sunt in Esariae expositione: *Omnes, inquit, virtutes sibi cohaerent, ut qui una caret, omnibus careat*: alter in libro de Trinitate sic scriptum reliquit: *Virtutes, ait, quae sunt in animo humano, quamvis alio et alio modo singulae intelligantur, nullo tamen modo separantur abinvicem*. Qua ratione igitur Christianis nec fortibus esse licet, nec magno animo, eadem ceteras virtutes negatas eis esse, oportet confiteri.

Lib. 1. adversus Pelag.

VI. LEOP. Scimus, Democrates, ab eruditis sic solere de connectione virtutum pronuntiari, nec tamen ea vox quam vim habeat, ignoramus. Nemo enim hoc sentit, non posse esse quemquam liberalem, ut non sit idem fortitudine praeditus. Cum passim videre liceat quosdam multis benigne factis virtutem, quae liberalitas dicitur, esse consecutos: quibus tamen citra ipsorum ullam culpam nunquam usu venit, ut pericula subirent, quibus adeundis fortitudo ingeneratur. Quae ratio eadem est in ceteris virtutibus. Non enim vel natura vel nostra voluntate solum virtutes morum contingunt, sed assuetudine quadam officiorum ingignuntur. Ceterum quoniam qui rite et ex praeceptis philosophiae ipsarum aliquam colit, hoc est, propter honestatem, et ut rationi pareat recte praecipienti; huic persuasum et insitum sit, necesse est, nullo loco sibi ab officio esse discedendum: idcirco quas re nondum nactus est, sed electione tantum ac voluntate praecepit, eas nihilo secius habere dicitur, participatione videlicet, ut Hieronymus ait, non proprietate: si quis enim non sic animatus est, ut quocumque natura rectaque ratio virtutum optima magistra duxerit, eo sit haud invitus secuturus; hic adumbratam quamdam virtutis imaginem ostentare potest, veram et expressam effigiem habere omnino nullam potest. Non enim honestatem is sequitur, et rationis praecepta, in cujus animo haec non idem ponderis habent, et ubique paria momenta. Ad hunc

hunc igitur modum philosophis placet indiscretas esse virtutes : et quoniam sunt in rebus agendis ratae quaedam sententiae (Graeci *axiomata* dicunt) omnibus virtutibus communes ; quae ad fungendam unam virtutem cognitae , ad ceteras accommodantur eodem modo , continenturque prudentia , sine qua nulla morum virtus consistit , et quae una si adsit , omnes simul adesse Aristoteles est auctor . At unam virtutem non quidem omnibus suis numeris absolutam , sed tamen jam adultam per se posse consistere , ceteris adhuc in illis quasi seminibus residentibus , negare , nec rationi congruit , et usui manifestarum rerum adversatur . Non igitur Christianus , si fortis et magni animi officia negligit , ut praeceptis serviat religionis , protinus aliarum virtutum inops et expers videri debet . *Ethic. 6.*

VII. DEM. Recte tu quidem , Leopolde , philosophorum sententiam de connexionione virtutum explicasti , sed vide ne forte eisdem etiam nunc angustiis urgeamur . Cur enim Christianus ceteras virtutes colit ? nonne propter honestatem ipsarum , ac ut imperio rectae rationis obtemperet ? LEOP. Non ob id tantum , sed multo etiam magis , ut Dei longe gravioribus praeceptis obsequatur . Cuncta enim Christianorum officia in Deum debent quasi in summum bonum atque ultimum finem contendere . DEM. An id proprium esse putas Christianae doctrinae , ut virtutes referat ad ultimum finem ? quis hoc non facit philosophorum ? quibus summa dissensio est de finibus bonorum et malorum , de his enim qui dissentiunt , eos in tota philosophia dissentire , idcirco necesse est , quoniam cuncta praecepta omniaque officia debent extremum finem quasi scopum intueri . Contra vero quibus de summo bono convenit , horum disciplina parum potest in tradendis officiis , hoc est , morum praeceptis discrepare . Quo fit , ut Christianorum praecepta , quae mores attingunt , aut nihil aut minimum distent a dogmatis Peripateticorum , quemadmodum heri disserebamus . Nam idem propemodum est utriusque summum bonum , eadem proposita felicitas . Ut enim Peripatetici , sic et Christiani felicitatem sibi in summae virtutis usu erga rem perfectissimam statuunt : summam autem virtutem , et rem perfectissimam intellectum , et Deum , ut necesse est , interpretantur , ut in contemplatione Dei felicitatem esse positam , dogma sit utrisque commune , nisi quod Peripatetici naturam ducem , ejusdemque tenue ac subobscurum lumen sequentes , et confusam quamdam ac subobscuram hujus rei cognitionem nacti , ut solent , *invisibilia* *Ad Rom. 1.*

Dei a creatura mundi per ea , quae facta sunt , intellecta conspici, satis habebant , seque felices fore arbitrabantur , si modo Deum sibi vel in aenigmate , et quasi speculo videre ac contemplari contigisset . Christiani autem beneficio religionis , ac summa praesentis Dei in humana forma benignitate , et oraculis edocti , clarissimoque lumine collustrati , quoniam in longe majorem clarioremque notitiam rerum divinarum proveci sunt : in vitae mortalis peregrinatione felicitatem nullam agnoscunt , exclamante Paulo : *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus , miserabiliores sumus omnibus hominibus :* sed eos tantum felices ac vere beatos et credunt et vocant , qui coram praesentem Deum intuentur in patria (sic enim ipsi beatorum vitam alteram appellant) et ipsum vident sicuti est . Quamquam enim felicitatem illam , quam justis et sapientibus hominibus philosophi tribuunt , non aspernentur , et beatos appellent , quicumque virtutum aliarum muneribus funguntur , eos tamen non re felices putant , sed spe futurae beatitudinis . *Beati mundo corde,* dixit Christus , sed quomodo beati ? *Quoniam ,* inquit , *ipsi Deum videbunt : et beati pacifici , quoniam filii Dei vocabuntur .* Vide quam valde Peripateticorum ratio cum Christianorum doctrina is moribus dirigendis conveniat ? Utrisque Deum contemplari summum bonum esse placet , utrique virtutis via ad felicitatem gradiuntur . Quibus illud itidem est commune , ut non solum virtutes , sed omnia facta et cogitata , res denique omnes , quae in actionem humanam cadunt , ad extremum finem referri dicant oportere . Nam , ut clamat Paulus : *Sive manducatis , sive bibitis , vel aliud quid facitis , omnia in gloriam Dei facite ,* sic Aristoteles : *Omnia ,* inquit , *sunt propter felicitatem appetenda .* Quod cum ita sit , aliqua nimirum esse debet praerogativa virtutum praeter ultimi finis respectum : aliquid insigne , quo praestent , et a ceteris humanis actionibus discernantur : de quo nisi convenerit inter nos , de militaribus virtutibus , et ipsarum cum aliis convenientia , vel dissensione disputantes , in incerto necesse est vagetur oratio nostra , nec de his licebit nobis quidquam certi definire .

VIII. LEOP. Consilium laudo , et hoc in primis statuendum censeo . DEM. Responde igitur ad interrogata : sublato finis ultimi respectu , qui communis est , ut docuimus , cunctis actionibus humanis , quid tandem est praecipuum in virtutibus , quo a ceteris rebus discernantur ? An quia , quemadmodum idem Aristoteles testatur , etiam-

Ethic. 1.

iam-

iamsi nihil esset praeterea, quo virtutes referrentur, ipsae tamen per se, propter suamque honestatem essent expetendae? LEOP. Sic videtur? DEM. Ratio igitur interna colendi expetendique virtutes posita est in ipsarum honestate, qua sublata, perit virtutis et nomen et natura. LEOP. Meo quidem iudicio. DEM. Qui honestatem ergo contemnit in una, neglecto rectae rationis imperio, a quo viro studioso numquam est discedendum, is eandem in ceteris virtutibus nonne videbitur eodem modo aspernaturus? LEOP. Videbitur omnino. DEM. At Christianus, si te audiet, in fortitudine ac animi magnitudine honestatem spernet: per te igitur eadem ratione aspernabitur in omnibus: ita fraudatus una, cunctis virtutibus spoliabitur: si enim cui insitum est honestatem ubique sequi, et imperio parere rectae rationis, is omnes virtutes habere putatur: qui honestatem uno in loco, ac propterea ubique negligit, et rectae rationis imperium, in hoc quis tandem locus potest virtuti cuiquam esse relictus? Nisi forte tam caeci sumus et pertinaces, ut non simus recusaturi, quo minus cum fortitudine magnitudinem quoque animi, quae summa maximaque officia in omni virtute persequitur, longe a virtutum choro submoveamus, reclamantibus non modo philosophis, sed theologis etiam religiosissimis: quorum nemo est hactenus repertus, qui has vel esse virtutes inficiaretur, vel a Christianorum consortio submoveret, scilicet quia nemo ignorat, complures hoc nomine in sacris litteris commendari. *Scribo*, inquit *Joannes*, *vobis, adolescentes, quoniam fortes estis*: et *Paulus*: *Per fidem*, ait, *fortes facti sunt in bello*: et ne singulos persequar, de *Stephano* legimus in *actis Apostolorum*, quod *plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo*. LEOP. Non ego, Democrates, fortitudinem ac magnanimitatem virtutes esse nego, neque quod eas dixerim a Christianis institutis abhorrere, velim sic mea verba interpreteris, quasi nullam nobis societatem cum illis virtutibus relinquam: non istuc valet oratio mea: sed ut intelligatur alia ratione fortes et magnanimos a Christianis, alia ceteris gentibus ac philosophis et probari et definiri. *Iustorum*, inquit *Gregorius*, *fortitudo est carnem vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationem vitae praesentis extinguere*. Philosophi virtutem hanc in bellicis maxime periculis cerni atque versari docent, nec secus de magnitudine animi, quae appetitum honoris et gloriae moderatur, videntur mihi dissentire: philosophi enim de honore et

Quae sit interna ratio colendi virtutes.

Joan. 2.

Ad Hebr. 2.

Cap. 6.

6. Mora.

Ad Gal. 6. gloria disserunt, quae ab hominibus contingit: Christianis *gloriarì*
1. ad Cor. 1. non licet, nisi in cruce domini nostri *Jesu Christi*. Nam qui glo-
Ad Rom. 2. riatur, idem Paulus ait, in domino glorietur, a quo gloria et ho-
 nor et pax omni operanti bonum citra delectum personarum.

Quanti pon-
 deris esse de-
 beat, et qui-
 bus in rebus
 philosopho-
 rum auctori-
 tas.

IX. Non igitur probo istam rationem disputandi, ut cum agi-
 tur de legibus ac institutis Christianis, et quaestio est sacrarum lit-
 terarum testimoniis dijudicanda, tu locum urgeas decretis philoso-
 phorum, Aristotelis passim, tamquam Pauli nomen inculcando: cui
 philosopho tantum tribuis in omni sermone, ut dicta ejus non ho-
 minis cujusdam decreta esse, sed dei alicujus oracula, cui refragari
 nefas sit, statuere videaris: et quod maxime indignum est homine
 Christiano, praecepta quoque religionis nostrae conaris ad Aristo-
 telis normam dirigere: cujus tamen doctrinam constat cum pleris-
 que articulorum, quibus quasi fundamentis nostra fides religioque
 nititur, pugnare. Hoc est illud, quod multi jam ferre non possunt
 in Aquinate Thoma, viro alioquin egregiae doctrinae et sanctitatis,
 qui Christianum ubique nititur Aristotelem efficere, Christianas leges
 Peripateticorum dogmatis confirmans praeter morem et sententiam
 veterum theologorum: ex quibus Hieronymus clamanti cuidam, i-
 gnoras hanc philosophorum esse sententiam? respondit: *Sed non A-*
postolorum. Neque enim, inquit, *mibi curae est quid Aristoteles,*
sed quid Paulus doceat: et alio in loco pulchre philosophos a qui-
 busdam patriarchas haereticorum appellatos asseverat, qui ecclesiae
 puritatem perversa doctrina maculaverint. Sed quid ego Hiero-
 nymi sententiam dictaque memoro? cum Paulus ipse nos hortetur
 moneatque, ne temere philosophorum decretis assentiamus: *Vide-*
te, inquit, *ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem falla-*
ciam: et Esaias clamet: *Perdam sapientiam sapientum, et pruden-*
tiam prudentium reprobabo. Unde idem Paulus: *Sapientia,* inquit,
hujus mundi, stultitia est apud Deum: quod est haud dubie de phi-
 losophis dictum: *qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.*

X. DEM. Invitus facio, ut a questione initio nobis proposita di-
 grediar. Sed quoniam tu me quasi de via ad impedita diverticula
 detrudis, quae nisi expediantur, difficillima sit futura ratio de vir-
 tutibus disputandi, rejecta per te philosophorum auctoritate: quid
 hac in parte verissimum esse putem, jam paucis explicabo. Pro-
 nunciata illa, Leopolde, quae *Articulos Fidei* propterea nuncupa-
 mus, quod his velut artubus fidei catholicae membra distincta, in

corpus unum constringantur, non modo sensum nostrum excedunt, sed captum etiam, et intelligentiam humanae mentis. Quo factum est, ut neque indagari potuerint cujuscumque hominis ingenio, nec humano intellectu investigari, ad summam nulla ratione alia in aliquam mortalium notitiam, quam divinis oraculis pervenire. Quamobrem qui quorundam articulorum ut altissimam, sic mortalibus inaccessam, et soli Deo exploratam veritatem volunt ratione naturali metiri, ac ipsorum mysteria ad dogmata philosophorum revocare, horum stulta sapientia est, et prudentia non probanda: hanc philosophiam Hieronymus contemnit, hanc damnat ubique Paulus, hanc vocat hujus mundi sapientiam, stultam videlicet et veritatis inanem. In his enim rebus, quae rationem naturalem excedunt, non est libere caeca mentis agitatione vagandum; sed intellectum oportet *in captivitatem redigere in obsequium Christi*, ejus doctrinae et sacrarum litterarum testimoniis, quemadmodum ceteris in rebus, fidem adhibentes, sic in his etiam incunctanter, ad quas intenta acies ingenii nostri caligat, quaeque normam excludunt humanarum doctrinarum.

XI. Cum vero de moribus agitur, deque virtutibus et contrariis rebus disseritur, prima est scripturae sacrae, proxima tamen philosophorum auctoritas, non quidem omnium, sed maxime probatorum: quales Platonici sunt et Peripatetici, qui summum bonum virtutis actione metiuntur. Licet Augustinus Platonem ceteris omnibus anteponat, quia non solum recte sentit de bonorum et malorum finibus, sed etiam mundo tribuit initium, a quo asserit ipsum Aristoteles, et humanos animos ab interitu et mortalitate fortiter et perspicue vindicat, in quo ille alter balbutire nutasseque videtur, modo huc, modo illuc inclinans, prout rationibus a sensu ductis impellebatur; sed quamquam Platonem idem Augustinus verissime tradat proxime omnium philosophorum ad Christianos accedere propter aliqua, quae non tam ratione naturali investigasse, quam in Aegyptiaca peregrinatione ex sacris Hebraeorum libris sumsisse creditur; tamen posteriores tum philosophi, tum theologo, ut supra testatus sum, non dubitavere principatum Aristoteli in omni philosophia dare, sive quaeratur de natura earum rerum, quarum cognitio parari potest ratione naturali, sive de moribus et recte vivendi praeceptis disseratur: cum propter divinum ejus ingenium, et incredibilem doctrinam mirabili solertia ab eo multis libris explicatam,

1. ad Cor. 10.

In lib. de reli.

*Platonis et
Aristotelis
comparatio.*

*De civit. Dei
lib. 8. c. 9.*

tam , tum vel maxime quoniam Socrates et Plato , qui poterant in contentionem venire , nihil tam certum esse rati , quod non posset in diversum paribus paene rationum momentis inclinari , omnia prope modum in medio reliquere , in utramque partem disputantes . Aristoteles autem ut arbiter honorarius a natura datus , tam scienter diremit priorum philosophorum controversias , tamque prudenter statuit de vi rerum naturalium , et bene ac beate vivendi ratione , ut ejus dicta , non praecepta philosophi , sed naturae leges atque decreta rectae rationis esse , doctorum fere consensu videantur .

Quibus invisa sit Aristotelis doctrina , et de Aquinate Thomam judicium .

Veteres theologo , qui valde fuerint uti doctrina philosophorum .

Epist. 43.

XII. Neque enim alios video (pace tua , Leopolde , dixerim) nimiae , ut ipsi garrunt , auctoritati philosophi hujus obmurmurare , nisi eos , quibus ille paulo notior est , quam Empedocles aut Anaxagoras , quos olim fuisse nobiles philosophos audierunt . Quales sunt hoc tempore impietatis Lutheranae magistri , qui omnis philosophiae ac theologiae reconditoris expertes , inani quadam garrulitate , quam solam Graecarum Latinarumque litterarum studio sunt consecuti , intumescens , de maximis viris , quos vix de facie , ut dicitur , noverunt , stulte et arrogantissime judicant : Aristotelem ut profanum et ab omni parte religionis aversum rejicientes , et cum alios scholasticos theologos damnantes , ut valde Peripateticos , tum in primis Thomam Aquinatem : cui me iudice si rerum divinarum et humanarum scientiae par facultas orationis contigisset ad ea disponenda et illustranda , quae summo ingenio et incredibili doctrina fuerat consecutus ; erat fortasse aliquis ex veteribus theologis , qui cum ipso conferri posset : quem autem anteferremus eidem , haberemus certe neminem . Quoniam igitur isti nugari paulo ornatius didicere , idcirco , his neglectis , veteribus illis Hieronymo et Augustino , aut ex Graecis Origeni vel Clementi se similes esse , ac , si placet Deo , pares etiam videri volunt : quos non modo eloquentia et altissima cognitione praestitisse constat sacrarum litterarum , sed etiam in studio philosophiae multum aetatis consumsisse . Quis enim , qui modo praestans illud Augustini opus legerit *de civitate Dei* , potest ipsum Platonis fuisse studiosissimum ignorare ? Nam Hieronymum , quem tu mihi paulo ante objiciebas , cum aliis philosophis Graece et Latine multam operam praebuisse , tum in primis Aristoteli et ejus Graece enarratori Alexandro , non solum Rufinus Aquilegiensis testatur , sed ipse quoque de se non uno loco profitetur : nec illud tacet , se Aristotelicos Alexandri commentarios e Grae-

Graeco in Latinum vertisse, nisi vertere dicit frequenter lectitare.

XIII. Quid, ut ad Graecos transeamus, Aristidem, quid Justinum, Christianos philosophos commemorem? quorum ille Adriano principi *Apologeticum pro Christianis librum* misit sententiis philosophorum conflatum, hic Antonino Pio doctissimum *contra gentes* volumen ex media philosophia depromptum. Nam Clementem presbyterum ecclesiae Alexandrinae, omnium, ut Hieronymus testatur, eruditissimum multos variosque libros conscripsisse certum est, altissima doctrina refertos, quam hauserat magna ex parte ex fontibus philosophorum. Quem aemulatus Origenes ejus auditor, decem stromatum scripsit libros, omnem religionis nostrae doctrinam dogmatis philosophorum confirmans. Non igitur recentiorum theologorum, quos *scholasticos* appellant, inventum est decretis uti philosophorum: idem veteres summa auctoritate et gravitate viri factitarunt, non modo ad Christianorum mores instituendos, in quo vel plurimum valet quid naturae aptum sit, quid diversum, dignoscere, sed etiam dum aliqua tractarent, quae pertinerent ad fundamenta Christianae fidei, et possent ex parte ingenii hominum et natura duce investigari: ut de natura Dei, de virtute ejus et simplicitate, de infinita tum potestate, tum etiam scientia, de rerum omnium supernarum et infernarum procuracione atque justitia, et si quid aliud de Deo per ea, quae facta sunt, conspicit humanus intellectus, cui sic indaganti *sempiterna quoque Dei virtus et Divinitas*, ut Paulus testatur, innotescit. Ad magnum oratorem urbis Romae.

XIV. Sed quoniam infinito rerum divinarum splendore perstringitur caligatque acies humanae mentis, non secus ac vespertilionum oculi, ut ait Aristoteles, ad lumen solis, idcirco hac in parte ponderis haud multum habet auctoritas philosophorum. Nec admodum ea utendum est Christianis, praeterquam in eos, qui sibi familiarium et probatorum hominum testimoniis adducendi sunt, ut ex quibusdam vel demonstratis vel persuasis rebus, ceteris, quarum est fides difficilior, assentiri paulatim assuescant. Cum autem de moribus agitur, quos ita demum optime institui ac honestissime putamus, si ad naturae regulam adformentur, tunc prudentium et doctissimorum virorum, quos philosophos appellamus, auctoritas non modo aspernanda non est, sed plurimum debet habere ponderis ad controversias, quae incidunt de virtutibus et vitiis, dijudicandas. Philosophi enim munus id maxime proprium est, quid a-

scis-

sciscat natura , quid vicissim aspernetur , commode ac scienter explicare . In quo praestando quoniam doctorum hominum consensu primae , ut video , Aristoteli suo jure referuntur ; cum hujus nomen usurpo , non id debes , Leopolde , vel suspectum habere vel invidiosum , sed putare potius , tunc me quasi naturae legem , cujus ille optimus fuit interpretis , allegare .

*In lib. De
motu anima-
lium.*

Ethic. 2.

XV. LEOP. Scite tu quidem et percommode rem inter Christianos et philosophos composuisse in universum videri poteris : ceterum sermones de toto genere habitos veros non putat idem tuus Aristoteles , nisi congruant in partibus , et singulis rebus accommodentur . Redeamus igitur unde digressi sumus , et jam doce , si potes , de fortitudine , cujus pars a quibusdam magnanimitas esse dicitur , Christianos ipsam suo quodam modo definientes , a philosophis non dissentire . DEM. Tergiversari istud quidem est , non causam ratione defendere . Ceterum res est in expedito . Non enim quaerimus de fortitudinis ac magnanimitatis definitione , quam qui aliam afferunt , hos aliam quoque rem sentire necesse est , cum rei unius una dumtaxat sit definitio : sed de habitu animi , qui timores et audacias in periculis praesertim capitalibus ratione moderatur : qui cum sit perspicue virtus , ut indicat virtutis definitio , si a Christianis institutis abhorrere statuatur , quae ratio hanc excludit a Christianorum consuetudine , eadem , si quid superiore disputatione confectum est , ceteras omnes virtutes submovebit : eodemque modo de magnitudine animi judico , quae temperat magnorum honorum appetentias . Erras igitur , et quidem toto , ut dicitur , caelo , Leopolde , si putas , Christianam philosophiam has virtutes repudiare , vel in ipsarum definitionibus a Peripateticis dissidere Christianos , qui in sanctis martyribus praeter virtutes theologicas dictas , nil aeque vel admirantur vel laudant , ac fortitudinem et ingens invictissimorum animorum robur : qui ne a fidei veritate et pio religionis cultu discederent , cruciatus ac mortem subire nec metuerunt nec recusarunt : unde *martyres* cum ab aliis , tum in primis a sanctissimis doctissimisque viris Maximo et Cypriano milites fortissimi nuncupantur . Nam quod Gregorius ait : *fortitudinem esse carnem vincere , ac propriis voluptatibus obsistere , et extinguere hujus vitae delectationem* , abusus in eo est fortitudinis vocabulo . Animi enim constantiam , quae latissime patet , serpitque ad omne genus officii , alieno nomine fortitudinem appellavit : propterea quod

ex

ex omnibus virtutibus firmitas animi in hac potissimum elucescat. Quod mihi videtur Gregorius, ne novum inventum esse putes, ut pleraque alia in quaestione morum a Cicerone mutuatus. Cujus ea verba sunt in primo de *Officiis* volumine: *Omnino fortis animus et magnus duabus rebus maxime cernitur: quarum una in rerum externarum despicientia ponitur, cum persuasum sit, nihil homini, nisi quod honestum decorumque sit, aut optare, aut expetere oportere: nulli neque homini, neque perturbationi, neque fortunae succumbere.* Quam deinde partem ita persequitur Cicero, ut eum dicas non de una quadam parte, sed de toto genere virtutis disserere.

XVI. Nam quod pertinet ad gloriam humanam, de cujus despicientia Christiani multa praecipunt, si rem altius et diligentius inspicias, eadem profecto reperias, aut quam minimum discrepantia praecepta philosophorum, cum de magnitudine animi disserunt, quae appetitum gloriae ac honorum moderatur. Nefas enim puto eo nomine Christianorum disciplinam infamare, ut quidquam in moribus natura honestum justumque viderit aliorum hominum solertia, quod ipsi non perspiciant, aut perspectum per stultitiam aut superstitionem repellant. Maneat igitur constitutumque sit, theologis etiam consentientibus, Christianos in tractandis morum virtutibus et vitiis, quae ratione naturali dijudicantur, a Peripateticis non dissidere, crimen utrisque existimantibus in vita, ab statu naturae rectaque ratione discedere. LEOP. Sit ita sane, et jam ad reliqua pergamus. ALF. Audite vero, Democrates et Leopolde, ego si me hodierna disputatione vestra delectatum esse negem, sane mentiar: nam de natura virtutum, deque ipsarum et consociatione et distinctione, tum de summo bono, ac philosophorum auctoritate, et Aristotelis praestantia, deque Peripateticorum cum Christianis in morum virtutumque doctrina convenientia, multa scite, ut mihi videntur, et copiose sunt a vobis disputata. Sed quod mihi a vobis expediri maxime cupiebam, id hactenus paene intactum reliquistis, quomodo invicta vis animi, quocumque nomine virtutis licet eam appellare, quae in milite probatur, cum injurias constantissime persequitur, aut gloriam bellicam avidissime consecatur, a Christiana religione non dissentiat: hac enim virtute per religionem Christianam repudiata, efficitur plane, ut bonus miles esse nemo possit, et idem bonus Christianus, quod erat caput institutae disputationis,

nis, et proinde vobis tam longe producto sermone non negligendum. DEM. Quasi vero quae hactenus dicta sunt, ad hanc rem non maxime pertineant, cum declaratum sit, multisque rationibus effectum, nullam esse omnino virtutem, quam religio Christiana non amplectatur. Sic igitur existimare debes, Alfonse, nihil neque in re militari neque in aliqua vitae parte a Christiana doctrina repudiari, quod virtutis nomine censeatur, nihil, quod non sit etiam philosophorum, non modo religiosorum iudicio vitiosum.

XVII. ALF. Injuriam igitur persequi, et hostes pertinaciter ulcisci, avidiusque gloriam appetere vitiosum putas? DEM. Ego vero certum habeo, sic enim judicant viri sapientes. ALF. At non viri fortes, quorum famae et gloriae prima est et maxima cura. Quis enim mediocris miles injuria paulo graviore lacessitus non vitam putat sibi esse peracerbam, quamdiu non datur inimicum poenis meritis ulcisci? Itaque multos videas, desperata vindictae tutioris occasione, vel irae ac morae impatientes, ad certamen singulare suum quemque inimicum provocare, ut eo vel sublato, vel impulso ad deditionem, gloria deleant ignominiam, aut si fortuna tulerit, fortiter occumbendo doceant, sese turpitudini ac dedecori longe mortem anteferre. Nec alios videas ore pleniore a plerisque omnibus laudari, quam qui inimicorum superbam petulantiam ad hunc modum represserunt: quod utique non fieret, si injurias aut inimicos ulcisci haberetur vitiosum. DEM. Si sic statuis, Alfonse, numquam hominum vitii approbationes et plausus imperitae multitudinis, sed virtutibus semper excitari, legem inducis in vitam mortalium omni peste, mihi crede, perniciosiorem. Quod enim venenum vel ad veritatis splendorem obfuscandum, vel ad deturpandam morum honestatem tetrius excogitari possit, quam si fuerit hominibus persuasum, ut spreto iudicio sapientium pravas stultorum opiniones et vulgi errores consecrentur? ALF. Non ego vel opificum sententiae, vel agricolarum iudicio standum esse dico, cum de virtute militari disputatur; sed de fortitudine et magnitudine animi fortes viros et magnanimos optime iudicare certum habeo. DEM. Recte tu quidem existimas, modo virtutes has a prudentia ne disjungas, quae omnium virtutum est quasi magistra. Sed tu quos tandem fortes viros et magnanimos appellas? ALF. Haud equidem eos, qui aetatem in otio et umbra transegerunt, quique tubam numquam, nisi in ludorum spectaculis audierunt. DEM. Philosophos mihi

Quorum iudicio standum sit, cum de fortitudine agitur, militum, an philosophorum? ac de Phormione philosopho male dimisso ab Annibale.

videris a fortium virorum consortio sejungere. ALF. Non eos tantum, sed omnes etiam alios philosophorum similes, quibus numquam, aut vix accidit hostem videre, aut in castris pernoctare. Non enim sine causa dictum Annibalis celebratur, qui, ut est apud M. Tullium, cum Phormionem philosophum aliquot horas Ephesi de imperatoris officio deque omni re militari ambitiose cum ceterorum admiratione disserentem audisset, quaesitumque fuisset ab eo, quidnam ipse de illo philosopho judicaret, respondisse fertur: *Multos se deliros senes saepe vidisse; sed qui magis, quam Phormio deliraret, vidisse neminem.* Non tulit videlicet Annibal arrogantiam vetuli philosophi, qui, cum castra ipse numquam vidisset, tanto imperatori sustineret de re militari praecepta dare.

De Orat. lib. 2.

XVIII. DEM. Te igitur auctore milites dumtaxat fortes et magnanimos viros appellabimus, et eos putabimus optime omnium de his virtutibus judicare? ALF. Mihi quidem sic prorsus videtur. DEM. Qui vero rebus urbanis obeundis robustum animum praestiterint, et tum publicas, tum etiam privatas importunorum civium injurias constanter repulerint, et reipublicae praesidentes impotentium audaciam nullo timore retardati cohibuerint, ne hos quidem per te nobis licebit fortes viros appellare? ALF. Ego vero tales tantosque viros fortes et magnanimos esse dico, et in numerum militum reponendos. Neque enim abhorret a militia, turbulentorum civium conatibus etiam sine armis obsistere, et nocentium crimina meritis legitimisque poenis vindicare. DEM. Quid philosophos? si qui virtutes has non solum scholis et meditatione, sed rebus publicis administrandis, et bellicis muneribus obeundis coluere; qualis fuisse memoratur apud Athenienses Socrates in primis, a quo velut fonte doctrina morum emanavit, et Timotheus Isocratis discipulus, ex Romanis P. Africanus, L. Lucullus, et qui libros etiam de philosophia scripserunt, Varro, Cicero, Brutus, et plerique alii: hos inquam metuemus, propterea quod fuerint philosophi, fortibus viris aggregare? aut in causa fortitudinis tamquam ineptos judices rejiciemus? iudicioque stabimus turbae militaris, quae magna ex parte robustis quidem et ad pugnandum manu accommodatis, temerariis tamen et hebetibus hominibus consistit? An hoc ponderis et auctoritatis plus habere debet talium philosophorum sententia, quod ad rerum usum, observandi diligentiam, ingenii perspicacitatem, et doctrinae cognitionem adhibuerunt? ut robustus agricola melius et

Qui philosophi fuerint milites; et quomodo morum doctrina sit inventa.

fodiet , et arabit , quam vir consularis , aut senatorius delicatus : prudentius tamen de agricultura et singulis ejus partibus edisserent , certioraque praecepta dabunt Marcus Cato , Plinius Secundus , vel Columella , et his aetate superior Theophrastus , qui hanc philosophiae partem coluere , et elegantissimis libris sunt complexi , quam quivis rusticus arator , cujus pedes et manus colendo terram diuturnis laboribus obcalluerint .

XIX. Ut enim ceterae disciplinae prudentium et ingeniosorum hominum diligenti variarum rerum observatione factae sunt , non aliter debes hominibus existimare morum philosophiam contigisse . Ars enim bene dicendi , quae facultas oratoria nominatur , ex multorum orationibus collecta est , qui natura fuerunt eloquentes : nemo enim tanta ingenii felicitate donatus est a natura , ut cum multa recte diceret , non interdum in aliquod orationis vitium laberetur ; sed multorum praestantibus ingeniis collatis , quae magna ex parte natura ducuntur ad potiora , facile fuit prudentibus hominibus virtutes sermonis atque vitia dijudicare . Nec secus tum de virtutum aliarum , tum de fortitudinis et magnitudinis animi praeceptis accidisse putare convenit . Non enim quidquid unus aut alter vir fortis et magnanimus factitaverit , id pro lege et quasi regula habendum est , ut recte de his virtutibus statuatur , *Nam vitiis nemo sine nascitur* , ut inquit poeta : ceterum ex multorum talium virorum factis et consiliis eadem ratione facta est disciplina , qua de fortis et magni animi virtutibus , et contrariis rebus optime judicetur : quam quia philosophi partim etiam observatione et usu rerum , ut Socrates et ceteri , qui bellicis quoque muneribus functi sunt , partim ratione prudentiaque pepererunt et retinent , efficitur , ut philosophorum prudentia , non vulgi militaris temeritate harum virtutum causa sit dijudicanda . Nam quod ais , Phormionem ab Annibale contumeliose fuisse dimissum , quod de re militari , quam numquam ipse expertus erat , coram se magno imperatore arroganter disputasset , poteram dictum Annibalis , et jure fortasse , nec sine bonis auctoribus rejicere , ut inhumanum et plane barbarum . Sed faciamus eum juste senis damnasse levitatem : num eadem causa fuerit ejus , qui artem , quam ipse numquam sit expertus , velit summum artificem edocere , quod fieri nisi stultissime non potest ; et eorum , qui de virtutibus judicant , quarum scientiam profitentur , ab iis acceptam , qui eam et usu rerum et summis ingeniis pepererunt , et a
qui-

Horat. lib. 1.
sat. 3.

quibus ipsi non abhorrent? Nam qui mortem perhorrescit, et res externas longe virtute inferiores pluris facit, quam pro ipsarum dignitate, is non re tantum, sed etiam nomine philosophi indignus est, in quarum rerum despicientia fortitudo et magnitudo animi nitescit. ALF. Quid igitur causae philosophi afferunt, cur injurias persequi, gloriam expetere vitiosum putent, quando aperte nobis non licet ab ipsorum tribunali provocare? quod mihi non magis rationibus, quam auctoritate tua persuasisti, cum te et strenuum militem et virum eruditissimum tam magnifice videam de philosophis sentire. DEM. Quid aliud esse causae putas, nisi quod id longe abhorret ab ea, quam toties nominamus, magnitudine animi? ALF. Quid ais, Democrates? nonne hoc inauditum est, et praeter omnium hominum sententiam? DEM. Imperitorum fortasse, et qui rerum veritatem vulgi erroribus metiuntur. Nam qui sapientium philosophorum praecepta didicerit, et magnanimorum virorum facta et instituta meminerit, is multo secus existimabit. Ne temere igitur aut arroganter causam sine auctoribus et testibus agere videamur, operae pretium fuerit, si tibi videtur, quid maximi viri de fortitudine ac magnitudine animi praeceperint, paucis verbis explicare. ALF. Mihi vero commodissimum videtur.

XX. DEM. Ut summam igitur rei paulo altius repetamus, fortitudinem, Alfonse, et magnitudinem animi multi non duas virtutes esse putaverunt, sed unam dumtaxat duobus nominibus appellatam, quae latissime pateat, pertineatque non solum ad malorum perpeccionem, et ad mortis propter honestatem oppetendae contemptum, sed ad omnium rerum externarum despicientiam: quorum sententia neque improbanda est, nec si rationis summam spectes, multum dissidet a Peripateticis: nos tamen sequemur Aristotelem, qui fortitudinem a magnanimitate distinguens, utriusque praecepta dat separatim, ac prudentissime, ut cetera, diligenterque persequitur. Hoc igitur auctore fortitudinem intelligimus virtutem, audacias et timores in adeundis sustinendisque honestatis gratia mortis periculis ratione moderantem. Licet enim timor et audacia latissime pateant (cuncta enim mala metuuntur, ut paupertas, infamia, morbus) non tamen in harum rerum timoribus temperandis fortitudo cernitur: nam quaedam mala timere non modo non turpe, sed honestum etiam habetur: infamiam namque metuere probitatis est et verecundiae; non timere, vicissim impudentiae: alia vero, ut paupertas et

De ratione fortitudinis, et oppositorum vitiorum, et ejus speciebus.

mor-

morbis , timeri quidem non debent , nihil enim metuere oportet , quod non sit a culpa nostra profectum : qui tamen harum rerum timore non frangitur , hunc liberalem et tolerantem , aut talem quemdam non sine laude nuncupamus : fortem certe nec dicere solemus , nec sentire , praeterquam per translationem , et tolerantiae similitudinem : fortis enim tolerantissimus est malorum , quae crimine vacant , quorum quia mors est terribilissima , efficitur , ut qui in mortis honestae periculis infractum interritumque animum praebet , hic solus nomine suo vir fortis consuetudine consensuque prudentium hominum appelletur : est autem mors honesta , quae propter honestatem et justitiam appetitur , ut in bellis justa de causa susceptis , ubi viribus est locus , licetque fortiter et viriliter agere . Quamquam enim in morbo , aut naufragio , vel ruentibus fulminibus vir fortis non succumbit timori , nam paulo vehementius non commoveri majus est humana firmitate ; in hujus tamen generis mortibus talibusque periculis fortitudinis splendor parum elucescit .

XXI. Ac fortitudinem quidem talem quamdam virtutem intelligimus , qua cognita haud sane fuerit difficile , de contrariis vitiis constituere : quae duplici genere excessus et defectus , ut pleraque omnia , continentur : excedendo porro duobus omnino modis peccatur : aut enim confidendo quis in adeundis periculis exsuperat , audaxque vocatur ; aut sustinendis nihil timet , ne ea quidem , quae vires humanas excedunt , ut terrae motus et maris tempestates et fulmina : quod vitium neque apud Graecos , neque apud Latinos nomen invenit , credo , quia raro cadit in homines paulo modo humaniores : sed quia parum abesse videntur a dementia , idcirco in quem cadit , hunc modo dementem , interdum appellare solemus stupidum . At qui infirmo animo est ad pericula subeunda , timidus is atque ignavus appellatur , sive plus metuat , seu minus confidat , quam oportet : sic enim dupliciter hoc quoque in extremo delinquitur . In quibus omnibus discernendis una est certissima regula a sapientibus tradita , et a nobis tenenda diligenterque adhibenda , ut qui in iis , quae supra diximus , mortis periculis sustinet atque audet , aut vicissim metuit quae et gratia , cujus oportet , et quemadmodum oportet , et quo tempore , quarum rerum iudicium est a prudentia petendum , hunc fortiter facere dicamus : cui autem horum quidquam abest , eum in alterutro vitio esse putemus .

*Ethic. I. et
Dion. de div.
nom. cap 4.*

Haec est enim natura virtutis , ut nisi teneat omnes suas partes , sta-
tim

tim sit honestatis nomen amissura. Sed ratio finis plurimum habet et virium et auctoritatis in rebus agendis, ut efficiens causa in operibus naturae, cum utrumque sit suo modo principium, quod principium veteri Graecorum proverbio dimidium totius esse dicitur: finis autem cuiusque virtutis proximus, est ipsius honestas.

XXII. Sublato igitur honestatis respectu, tota corrumpitur substantia fortitudinis, licet interdum species quaedam commentitia relinquatur, quod quinque modis accidere notavit Aristoteles: quidam enim facta virorum fortium imitantes, honores dumtaxat et gloriam sequuntur, aut increpationes fugiunt et ignominiam, quae civilis fortitudo nuncupatur, quaeque idcirco proxime ad veram fortitudinem accedere dicitur, quoniam qui gloriam sequitur et honorem, quod Arist. 1. Eth. est praemium virtutis maxime proprium, is virtutem ipsam et honestatem secutus esse videri potest. His quoque annumerantur, qui necessitate aut timore praesentis poenae a magistratibus propositae bellorum pericula subeunt: hoc tamen prioribus deteriores, quod non pudore continentur in officio, sed metu, quo solent etiam mancipia contineri. Alii propter rei militaris scientiam et armorum peritiam, cum non sint, fortes interdum esse videntur: quoniam specie vana periculorum, quae plerumque tyronibus in bello metum ob imperitiam incutiunt, ipsi minime deterrentur, vel quia vanitatem dignoscunt ceteros fallentem, vel quoniam armorum usu tutius hostem offendere, seseque tutari valentes, quasi armati cum inermibus, vel athletae exercitati cum infirmis aut rudioribus pugnaturi sibi esse videntur: quae fortitudo militaris idcirco vocatur, quoniam mercenarii milites hac potissimum valent, qui cognito certo periculo primi saepe fugam capessunt, civilibus copiis mortem turpi fugae praeferentibus. Ad haec ira concitati multi pericula subeunt interriti, quos idcirco fortes interdum appellamus, quoniam et ipsis fortibus ira res videlicet impetuosissima vires, ut ait Homerus, subministrat: quo fit, ut in concionibus militaribus, quibus acie instructa imperatores ad pugnam milites adhortari solent, illud vel in primis usurpetur, si quid contumeliose factum commemorari valet, quo militum animi possint ad indignationem concitari: interest tamen, quod fortes honestatem sequuntur, ira spiritus suggerente; isti studio vindictae agitante dolore praecipites in pericula feruntur more ferarum, quae nisi irritentur, etiam in silvis fugiunt potius hominem, quam invadant, sed accepto vul-
ne-

nere in percussores irruunt nullo periculo aut timore retardatae.

XXIII. Sed ne eorum quidem vera fortitudo putari debet, qui, quod saepe multosque vicerint, ea spe confirmati, res formidabiles confidenter aggrediuntur: fortes enim honestatis, quam saepe dico, causa res periculosas suscipiunt, isti ob alias causas, dum se superiores esse confidunt, quod iis fere solet usu venire, qui saepe hostes non tam sua virtute superaverint, quam illorum ignavia, qui ex multis victoriis, quemadmodum ebrii ex multo vino, magnos spiritus et fiduciam sumunt. Nam hoste mutato, si fortuna reflare coeperit, perspecto periculo, ubi timor fiduciae successerit, non persistunt. A quibus non multum abhorrent, qui propter periculorum ignorationem facta fortium virorum aliquatenus imitantur, hoc tamen deteriores, quod illi res periculosas, sed quasi explorata victoria prudentes aggrediuntur, quod habet aliquid dignitatis: hi vero, dum putant nihil in re subesse periculi, quod procul abest ab omni laude. Unde factum est, ut quidam utile fore existimarent, militibus, de quorum virtute dubitaretur, aut occultare pericula, aut verbis, quoad fieri posset, extenuare: quorum error perniciosus primum aperta ratione convincitur, quoniam ad provisa pericula complures se cogitatione meditationeque muniunt, qui repentinis deterrerentur, in quibus insita virtus et inveteratus habitus plurimum elucescit: deinde magnis exemplis, et summorum imperatorum auctoritate refellitur, ac in primis Julii Caesaris, quem solitum esse constat, timentibus suis periculi magnitudinem ac hostium numerum exaggerare, ut in Jubae adventus terribili expectatione convocatis ad concionem militibus: *Scitote, inquit, paucis his diebus regem affuturum cum decem legionibus, equitum triginta, levis armaturae centum millibus, elephantisque CCC.*

Non esse pericula militibus extenuanda.

XXIV. ALF. O factu igitur difficile, Democrates, virum fortem invenire, si in tot hominum generibus nihil solidae virtutis habetur, sed inanis dumtaxat species fortitudinis vitio cuidam obtenta: nec tamen dubito, quin ista verissime tradantur, non solum ob tanti philosophi auctoritatem, sed quia te disserente, multa mihi exempla in mentem venerunt hominum mihi notissimorum, quae cum ista doctrina valde mihi congruere videntur. Sed non oportet quemquam nominatim in invidiam vocare. Reliqua igitur oratione tua non mediocriter sum delectatus; sed illud mihi fuit submolestum, quod nostri ordinis, hoc est militarem fortitudinem ad inanem quamdam

vir-

virtutis speciem retulisti, oblitus fortasse, te militem esse, dum partes agis philosophorum. Ego enim sic statuo, aut nullum omnino jure posse virum fortem appellari, aut hunc esse de militum ordine petendum. Nam si, ut ceterae virtutes, quod heri cum Leopoldo disserebas, sic fortitudo non inest a natura, sed consuetudine periculorum ingeneratur: quis pluribus quotidie aut majoribus periculis exercetur, quam miles? quis aestum, frigus, famem, sitim vigiliisque tolerando, pars tum corpori, tum etiam animo ad laboriosa discrimina subeunda callos obduxit? DEM. Nemo certe: neque umquam ego committam, ut more quorundam judicum stulte ambitiosorum, injuste faciam in meos, ne injuste fecisse videar: veram igitur fortitudinem in multis militibus et fuisse, et esse dico, nec aliter umquam existimavi: sed neque in milites tantum fortitudinem cadere, ut quidam ipsorum levissime jactant, et complures eorum videri magis, quam esse tales certum habeo. Nec vero mirari debes, quod nec facile nec valde multis vera fortitudo contingat, nam virtus omnis in re difficili versatur, et cum ad vitium innumeris viis aberretur, una dumtaxat via est, quae ducit ad virtutem, et ea quidem, ut Hesiodus ait, longa et ardua, asperisque difficultatibus impedita. Sed ratione fortitudinis explicata, parumper, si videtur, de magnitudine animi disseramus, ut his virtutibus cognitis, quas optimo militi tribuimus, propositae quaestioni finem aliquando faciamus.

XXV. Intelligendum est igitur, ut pecuniis collocandis duplex virtus accommodatur, liberalitas, qua parvorum ac mediocrium sumptuum; magnificentia, qua magnorum moderamentum et quasi mensura continetur; sic honorum appetentias duabus virtutibus temperari: quarum quae in parvis honoribus aut mediocribus cernitur, vocabulo quidem, ut multi affectus animi, vacat, sed interdum nomen ab extremis mutuatur: quorum alterum ambitio dicitur, cum parvi honores plus quam communiter solent, expetuntur: quod est magnae levitatis, et qui hoc malo laborat, ambitiosus: alterum nec Graece nec Latine nomen invenit, sed qui hoc vitio deficit, ἀφιλότιμος dicitur a Graecis, quasi negligens in honore, nam hoc quoque vitiosum est, ut sit necesse medium ipsorum a virtute quadam possideri: qua qui praeditus est, tunc ambitiosi vocabulum sumit, cum alterius extremi comparatione laudatur: tunc in honore negligentis, id est, τῆ ἀφιλοτίμου, cum in ambitiosi invidiam com-

i. Magn. moral.

De virtute, quae temperat parvorum honorum appetentiam, et vitii oppositis.

De magnanimitate, et virtutis oppositis, et veteribus prae-
miis bellicae virtutis diversarum gentium.

Polit. 7.

mendatur, extremis de medio innominato, quasi de regione nondum occupata decernentibus: quae vero virtus magnorum honorum cupiditates moderatur, magnitudo animi et magnanimitas appellatur: magnanimus enim intelligitur, qui ut est, sic magnis atque adeo maximis rebus sibi dignus esse videtur. Quo fit, ut magnitudine quidem extremus sit magnanimus, ratione vero medius: non enim plus, nec rursus minus appetit, quam pro ipsius dignitate, quae cum maxima sit, rebus maximis est muneranda. Quo in genere in primis est honor, quem bonorum externorum maximum esse declarat religiosorum ac prudentium hominum vetustissima consuetudo Deum immortalem honorandi, et hac potissimum ratione colendi, atque honore praeclara facinora munerandi, summis viris id praemium omnium maxime cupientibus. Hinc enim statuarum usus emanavit, quas primi mortalium Athenienses Harmodio et Aristogitoni tyrannicidis publice posuisse creduntur: hinc coronarum multa genera, civicae, navales, murales, vallares, et obsidionales nuncupatae, quibus Romani donabantur, si quis civem servasset, murum primus aut vallum conscendisset, obsidionem a suis depulisset: hinc denique triumphus natus est, qui Romanis eisdem immortalitatis instar erat: ne Carthaginensium, tuorumque Hispanorum, Alfonse, morem vetustissimum referam; quorum illi, ut testatur Aristoteles, tot annulorum ornatum cuique permittebant, quot expeditionibus miles interfuisset; Hispani vero tot obeliscos circa sepulturam erigere, quot quisque hostes in bello sustulisset. Cum igitur honor in rebus externis haud dubie principatum teneat, efficitur, ut magnanimus honore, et quidem magno, sit dignus, et eo sese dignum existimet, utque in hoc sibi sumendo maxime cernatur.

XXVI. Qua in re dupliciter, ut fere assolet, peccatur: quidam enim, cum honoribus digni sint, ipsi tamen sibi tales esse non videntur, et oblatos non admittunt, tamquam sua dignitate superiores, pusillanimi nuncupati: quod nomen licet pateat latius, ad omnesque pertineat, qui se minoris faciunt, quam sint, sive parva mereantur, sive magna: iis tamen proprie tribuitur, qui magnam suam dignitatem non agnoscunt: quo vitio spes infringitur res praeclaras efficiendi, et industria languescit. Alii sunt in contrario vitio, seque, magnis honoribus cum sint indigni, dignos tamen arbitrantur, qui Graece quidem *χάυνοι*, Latine vero, nisi fallor, *arrogantes*, et iidem *superbi* nuncupantur, non multum a stolidis abhorrentes. Nam

igno-

ignoratione sui res magnas aggrediuntur irrita opera, et interdum laudem petunt, unde ferunt etiam vituperium, optime namque praecipitur, ut qui ad rem gerendam accedit, caveat, ne id modo consideret, quam sit illa res honesta, sed etiam ut habeat efficiendi facultatem. Itaque arrogantes vestitum quoque, vultum, gestum, ceterumque corporis ornatum studiose quaerunt atque componunt, et quidquid inest opis passim ostentantes, de se quoque multa jactant importune, dum temere honorem hoc magis fugientem insequuntur: quibus vitiis (seu verius errores dicendi sunt, nec enim his homines mali esse, sed aberrare potius existimantur) inter se comparatis, pusillanimitas magis vituperatur. Nam primum repellit et tollit ea bona, in quibus magna sunt illustrium rerum gerendarum adjumenta, deinde pigros homines cunctantioresque reddit ad praeclara facinora, vitium vel in primis damnatum a Paulo: ab hoc enim nos in Corinthios dehortatur, cum ait: *Adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* ^{2. Cor. 6.} Una igitur et perbrevis cautio tradita est, qua commode utrumque vitium evitabimus, si in eo genere neque temere desperabimus propter ignaviam, nec rursus nimis confidemus propter cupiditatem. Est igitur magnanimus, ut diximus, qui magnis rebus et dignus est, et se ipse dignatur. Nam qui parva meretur, et parvis sese dignum censeat, non caret is quidem virtute, sed quasi modestiae nomine laudabitur, non magnanimitatis, quae sine magnitudine non consistit; ut pulchritudo corporis nulla est sine proceritate, quamquam interdum in brevi statura corporis habitudo membrum veluti ad mensuram congruentibus commendetur: quo fit, ut sine cumulata omnis generis virtute magnanimus esse non possit. Nam cum honor praemium sit virtutis maxime proprium, et quo quisque melior est, hoc majores honores mereatur, satis intelligitur, qui maximis honoribus est dignus, eum oportere in omni genere virtutis excellere; ut merito quidam a viris prudentibus rideantur, qui, cum absint ab omni virtute, et sint monstra pravitatis, tamen ob generis nobilitatem et opes, quibus ad magnas tenuiorum injurias abutuntur, se in magnanimis viris et honore dignissimis haberi volunt: quod eis accidit, dum timores imbecilliorum, et levissimorum assentationes sic interpretantur, ut eas putent ad suam laudem, et suorum meritorum testimonium pertinere: qui tunc se etiam atque etiam errare cum suo magno malo cognoscunt, cum eos co-

git gravis aliquis casus de se vera judicia hominum experiri : honor enim virtutibus emerendus est , non vi aut timoribus extorquendus.

De justitia,
et ejus discrimine et convenientia cum magnanimitate.

XXVII. Itaque non facile virum invenias , qui jure magnanimus appelletur . ALF. Mihi vero factu difficillimum videtur , consideranti sic te de magnitudine animi disserere , quasi nominis hujus intellectum non una quaedam , sed prorsus omnes virtutes contineantur : quemadmodum de justitia video a nonnullis disputari , ejus vocabulo virtutes omnes complectentibus . DEM. Non est ita, Alfonse , nec animi magnitudo eodem atque justitia modo in ceteris virtutibus spectatur . Nam cum sit duplex justitia ; altera quae proprie intelligitur , quaeque constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuens definitur ; altera , quae legitima dicitur , patetque latissime : in hac omnem virtutem idcirco intelligimus , quoniam sic justum vocamus eum , qui nihil agit contra legum praescripta , quibus legibus omnium virtutum praecepta continentur , et contraria vitia vindicantur : ut si quis signa deserat in acie , quod timidi est, aut se polluat adulterio , furtive constringat , quod est contra temperantiam et liberalitatem . Itaque quocumque officio fungaris , finibus id justitiae continetur , ut legitima justitia hoc esse re intelligatur , quod virtus in universum , licet sit ratione diversa , nimirum quatenus justitia ad alterum refertur , bonumque publicum spectat , cum virtus simpliciter talis habitus intelligatur . Magnanimitatis longe alia ratio est : quamquam enim haec choro virtutum omnium stipata esse debet , non tamen virtus omnis potest ut justitia , sic magnanimitas appellari . Ceterum illud est praeclarum hujus virtutis admirandumque munus , quod ceteras omnes reddit multo augustiores , cum maxima quaeque et ardua officia in omni genere persequatur : exempli causa , fortitudinis est fortiter facere , magnanimitatis vero id ipsum excellenter praestare , quale factum accepimus Horatii Coclitis Romani , qui ceteris etiam fortibus viris cedentibus , in ponte sublicio hostium aciem unus tam diu sustinuit , donec a tergo pons interrumperetur : quo facto se armatus in Tiberim dejecit , ad suosque tranavit . Ad hunc itaque modum magnanimus in virtute quaque magna semper spectat , quae ratio ipsum a ceteris virtutibus secernit , species enim virtutum vitiorumque vicissim finibus potissimum suis discernuntur .

XXVIII. Sed quamquam animi magnitudo in honoribus , ut di-

diximus, et rebus contrariis versetur, magnanimus tamen honores etiam magnos sibi a probis viris delatos non magni facit, sed ipsis moderate delectatur: intelligit enim majora etiam praemia suis virtutibus deberi, cum virtus cumulata nullis honoribus possit pro dignitate munerari, sed boni consulit, quoniam majora praestari nequeunt: eos enim honores, qui a vulgo ob res parvas tribuuntur, ut se indignos penitus contemnit, nec popularibus sinistris rumoribus vel repulsis commovetur, virtutis et meritorum suorum conscientia adversus levitatem et injustitiam hominum confirmatus. Itaque Porcium Catonem repulsis, tamquam honoribus gaudere solitum Plinius Secundus est auctor. Cum igitur praeter virtutem nihil magni pendat, efficitur, ut neque pericula fugiat propter timorem, nec injuriam in alterum inferre inducat animum. Qui enim parva ducit, quae ceteri demirantur, et in maximis rebus habent, cujus demum rei gratia hunc turpiter facere conveniet? licet autem in honoribus potissimum magnitudo animi cernatur, persequitur tamen omnes partes utriusque fortunae: ita quidquid in divitias aut potestates prospere, aut secus acciderit, feret moderate, nec gestiet in his secundo fortunae flatu, nec frangetur adverso: cum in honore, quod multo majus bonum est, constantem se atque superiorem exhibeat: divitiae namque et potestates ob honorem expetuntur: quo fit, ut magnanimi contemptores esse videantur, cum neque opes, nec imperia, nec magistratus, ac ne ipsum quidem honorem magnifaciant: videtur tamen fortunae favore ipsa quoque magnanimitas augescere: pauperes enim ac ignobiles a plerisque contemnuntur, et his malis oppressa virtus manca interdum est ad officia fungenda. Itaque nonnumquam vel frustra nititur instrumentis destituta, vel ne conatur quidem, ne cum auctoritas absit, opera nequidquam suscipiatur: *Plurima enim sunt*, ut inquit poeta,

Magnanimus
pauca magni
facit, raro
subit pericu-
la, et de re-
liquis ipsius
studiis, et
moribus, et
signis natu-
ralibus.

Juven. sat. 5.

quae non audent homines pertusa dicere lena; contra vero nobiles, et qui cum imperio sunt, ac opulenti, honore digni existimantur ob excellentiam, quidquid enim bono aliquo praestat, honoratius habetur. Itaque talibus etiam bonis magnanimitas invalescit. Nam licet viris dumtaxat probis honor jure debeatur, idem tamen externis bonis a quibusdam exhibetur, ut dubium non sit, quin virtus his cumulata tanto magis honore digna censeatur.

XXIX. At sine virtute nulla neque nobilitas, nec opulentia magnitudinem animi praestabit, nec rebus magnis dignum quemquam

Ovid. lib. 13.
Metam. f. 1.

quam efficiet : talis enim fructus maxime proprius est virtutis exactae . Quo minus ferenda est quorundam importuna superbia , qui rebus dumtaxat externis intumescentes , sibi magnopere placent , et prae se ceteros etiam virtute superiores spernendos putant , contemtu solum magnanimos imitantes , quippe suis bonis dignitas cuique metienda est , non alienis : scitum est enim illud poëtae : *Nam genus et proavos , et quae non fecimus ipsi , Vix ea nostra voco .* At externa quae dicuntur bona , cuncta esse aliena , hoc ipsum nomen declarat , et quod eadem fortunae bona nuncupantur . Magnanimus igitur merito contemnit virtute inferiores , quoniam suis bonis , hoc est , virtutibus excellit , et recte iudicat : unde fit , ut raro se periculis exponat , praesertim ob leves causas et res exiguas : pericula enim non suscipiuntur nisi ab iis , quibus proposita praemia videntur esse magna : cum nemo nisi stultus , hamo aureo (quod usurpasse traditur Augustus Caesar) piscetur , praesertim pisces , quos parvi facit : magnanimus autem , perpauca sunt , quae magni pendat ; ut merito rideantur a prudentibus leviculi quidam homines , qui laudem fortis et magni animi stulte in primis aucupantes , occasiones periculorum pro levissimis etiam causis arripiunt : quos saepe videas , aut mortem oppetere cum recte iudicantium vituperatione , aut plagas turpissimas et damnosissimas accipere pro rebus vel turpibus , vel ejusmodi , ut eas vir magno animo ne disceptatione quidem dignas esse duceret , quod est non solum stulti , sed angusti etiam animi documentum , qui rumores imperitae multitudinis tanti faciat , ut eos vel cum discrimine vitae colligendos esse putet . Nam cum dignitas magnitudoque rei officium poscit , ut si patriae laboranti subveniendum sit , aut pro tenuiorum tutela contra impotentium injurias decertandum , vel pro religione adversus impios contendendum , nemo nec libentius , nec pari constantia , vel capitis adit pericula , vel justitiae ac omnis virtutis patrocinium exsequitur , nemo suae vitae minus parcat . Mori enim huic potius est , quam ut a talibus officiis per socordiam aut ignaviam discedat .

XXX. Illud quoque magni animi est , beneficiis alios libenter demereri : se vero eis astringi , non aequo animo , nec sine pudore ferre . Nam beneficia conferre praestantis est , accipere vicissim inferioris . Quamobrem magnanimus , si quando fuerit benignitate provocatus , gratiam refert majoribus officiis muneribusve cumulata , ut hac ratione , qui prior tribuerat , liberalitate superetur :

tur : quae res facit , ut quos beneficiis affecerit , hos magis , quam bene de se meritos meminisse videatur . Nam qui patitur , quatenus patitur , minor est efficiente , magnanimus autem ceteris praestare vult . Itaque sua in alios , quam aliorum in se merita libentius audit . Unde mihi consuetudo , quae apud Hispanos plurimum invaluit , nata esse videri solet , quibus , dum principes viros aliquid de se bene meritos alloquuntur , ipsorumque captant benevolentiam , illud in promptu est et quasi legitimum , ut se profiteantur , illis esse obligatos , et ab eisdem majora etiam sperare . Est itidem magnanimi , aut nullo modo , aut gravate precari quemquam , rogatum vero facile honestis precibus adquiescere . Ad haec cum illustribus et opulentis viris suam dignitatem retinere velle , mediocribus comem se et perhumanum exhibere , et quod Virgilius scite vereque cecinit de populo Romano : *Parcere subjectis , et debellare superbos* : hos enim superare magni negotii est et gloriosum , illos insolenter tractare ac inhumane , levitatis et importunum . Observatum quoque est , magnanimum otii esse sectatorem , nec in negotiis properare , praeterquam cum res adhortatur , in qua versantur magna momenta , aut de maximis honoribus agitur . Itidem paucis negotiis implicari , et his magnis et illustribus , et siquid detrimenti in re familiari aut in parvis rebus aliis acceptum fuerit , vel immineat , nec querulum esse , nec ad deprecandum proclivem ; id enim hominis est talibus rebus studentis . Ac ut tenuiora signa , sed quae ne Aristoteles quidem praetermisit , persequamur , res quae sola pulchritudine commendantur , quam utiles sibi et fructuosas , magis quaerere , hoc enim hominis est opulenti : ad haec incessum ejus esse tardum , vocem gravem , orationem non concitatam , nec enim properat , cui pauca sunt curae , nec vehemens est , qui nihil magnum putat , ac perinde nihil magnopere demiratur .

Aen. lib. 6.

XXXI. Illud vero necessarium est adesse magnanimo , ut palam et oderit , et amet : occultare namque timoris est , qui non cadit in magnanimum , ac ut rem longe antiquiorem habeat , quam opinionem , magno exemplo Quinti Fabii Maximi , qui *non ponebat rumores ante salutem* , ut ait Ennius . Item ut aperte et loquatur et agat , quod est confidentiae , libertatem illi contemptu rerum suggerente . Itaque et liber est et veritatis amator , nisi cum ad vulgus utendum esse putat ironia , hoc est , suarum virtutum

ex-

x. de Offic.
c. 25.

extenuatione, item ut vivere nequeat ad alterius voluntatem, praeterquam amicorum, illud enim est servile. Itaque omnes adultores servili animo sunt, et abjecti homines assentatores habentur: ac ne malorum quidem meminisse, magnanimi est, sed connivere potius in commissis aliorum, et ipsorum oblivisci. Nam cum sua in alios officiose facta memorare alienum est ab hac summa virtute, tum aliorum in se commissa exprobrare, multo etiam magis: *Nibil enim laudabilius*, ut Cicero testatur, *nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate atque clementia*: in quo genere Julium Caesarem excelluisse legimus in Romanorum monumentis. Ad extremum magnanimo perquam rarus sermo est de hominibus tum in laudem, tum etiam in vituperium. Nam cum aliorum de se laudationes parvi faciat, multo minus ipse sua facta praedicare gaudet, hoc enim levitatis est et deforme. Nec rursus aliorum vituperationibus delectatur, suis enim magnis virtutibus princeps esse vult et superior, non aliorum infirmitate vel ignavia; prorsus ut ne de inimicis quidem male loquatur, nisi forte provocatus, ut referat male merenti contumeliam.

De virtutibus
naturalibus,
et quantum
conducant ad
morales.

XXXII. Atque haec equidem praecepta de fortitudine magnitudineque animi a maximis philosophis, praesertim ab Aristotele tradita sunt, sic a viris prudentibus de utraque virtute disseritur. A quibus virtutibus tantum abest, ut religio Christiana dissideat, ut his potissimum fundata et latissime propagata mihi fuisse videatur per sanctissimos heroes, quos, quia in testimonium verae religionis, mortem forti magnoque animo pertulerunt, Latini quoque Graeco vocabulo *Martyres* solent appellare. Nam quis unquam periculis adeundis, contemnendisque rebus, quas ceteri demirantur, fortiolem aut majorem animum praestitit, quam apostoli? Quis Graecorum aut Romanorum ob salutem patriae seu libertatem, aut humanam gloriam tam intrepide mortem subivit, quam ipsi ceterique martyres, spretis impiorum minis, tyrannorumque saevitia propter Christi religionem? quam non tam loquendo, quam fortiter moriendo ceteris hominibus probaverunt.

XXXIII. LEOP. De his quidem virtutibus, Democrates, recte mihi videris, et ex praeceptis philosophiae Peripateticorumque decretis disseruisse. Ceterum si quid habent certi signa ista magnanimitatis, et quae supra de notis boni militis referebat Alfonsus, vereor ne fortitudo magnitudoque animi, et proinde ceterae morum virtutes,

non

non in nostra voluntate et meditatione positae sint, sed a natura petendae et exoptandae. Nam quae natura vel contingunt hominibus, vel negantur, ut proceritas corporis, latitudo pectoris, vocis gravitas, tarditas incessus, et his opposita, haec ego non video, quomodo possint voluntarios habitus significare, cum opera naturae auferri meditando semel edita non possint, voluntariis virtutum ac vitiorum actionibus nostro arbitratu moderemur. DEM. Nae istud, Leopolde, non sine magna ratione suspicaris. Nam quae nobis nec cupientibus adsunt, nec aspernantibus discedunt, haec non possunt esse certa signa eorum, quae sunt in cujusque voluntate, cum ne effectus quidem naturales semper evadant, suave antegressa vel praetenta signa consequantur. Sed meminisse debes, Ethic. 6. et Magn. mor. 1. id quod te legisse arbitror in theorematis philosophorum, duplex esse morum virtutis genus, alterum naturale, rationis alterum. Est autem virtus naturalis (nam de priore genere jam satis multa disseruimus) innata quaedam pronitas absque ratione ad fortitudinis, exempli gratia, munera, vel liberalitatis obeunda. Itaque nobiscum nascitur, et paulatim, nisi contraria consuetudine cohibeatur, adolescit, ut in pueris licet contemplari: hos enim videas variis a natura praeditos habitibus, aliosque ad alias virtutes, aut vicissim ad contraria vitia proclives, qui habitus nec laudandi materiam praebent, nec vituperandi, non magis quam velocitas, aut bona latera, vel his oppositae debilitates. Tales enim virtutes cum intellectu velut oculo careant, saepe notantur homines in magna sua, vel etiam aliorum incommoda transversos agere: similesque sunt validis caecorum animalium corporibus, quae temere concitata vehementer impingunt.

XXXIV. Ceterum si ad naturalem accedat cum recta ratione ea, quae proprie virtus intelligitur, tunc vero studiosus habitus facile paritur, altius excipitur, pertinacius inhaerescit, existitque virtus perfectissima magnos viros efficiens et summa laude dignissimos. Nam cum virtus naturalis abest, vel opposito malo est natura depravata, quod utinam in paucis eveniret, difficile factu est veram virtutem ingenerari: nec ea fere nisi tenuis, et per summam curam assiduamque exercitationem contingit, quae exercitatio diu permolesta est, repugnante natura: et, si curam remittas, virtus aegre parta paulatim effluit, sensimque dilabatur, ut recte hominum naturas agrorum ingenio persimiles esse dicas: qui agri si feraces

sunt et uberes, coli tamen debent et exerceri, et sic fruges large ferent atque fructus commodissimos: aliter enim fructificare solent inutiliter, ac spinas et herbas quandoque mortiferas procreare: sin steriles et sabulosi, cura ingenti opus est assiduoque labore, ut aliquid inde proveniat, quod satis sit ad usum aliquem humanae vitae necessarium. Tunc igitur optimus et firmissimus virtutis habitus generatur, cum ratio et studium cum natura congruit: et officium ab eo manans, constantius editur et perfectius, non solum ob adjumenta naturae, quae ad aliquas virtutes sic natis hominibus plerumque suppetunt, sed etiam propter majorem voluptatem, quam suggerit rationis cum natura consensus: voluptas enim, ut philosophis placet, actionem reddit perfectiorem. Itaque similis est ratio virtutis naturalis, si cum vera in eodem genere conferatur, atque solertiae (nam sic interpretor quam Graeci *δεινότης* vocant) cum prudentia collatae. Est enim solertia vis quaedam mentis valens tum ad indagandum, tum ad agendum ea, quae ducunt ad finem, qualiscumque is fuerit propositus: qui si honestus sit, ea vis laudabilis habetur: sin turpis, calliditas et versutia nuncupatur. Prudentia vero habitus esse definitur cum ratione verus eorum, quae homini bona sunt, efficiens. Quia tamen sine solertia prudentia non consistit, efficitur, ut prudentes tum solertes, alias versutos seu callidos apellemus, et contra. Itaque solers homo, et bonus esse potest, et malus: prudens ut quisquam sit, qui non sit idem vir bonus, non licet; eodemque modo virtute naturali et bene possumus, et male uti, et rebus contrariis accommodare: vera virtute ut quisquam abutatur, fieri non potest, quemadmodum Augustinus et Aristoteles testantur, qui ipso abusu vim amittit nomenque virtutis.

XXXV. Non est igitur mirandum, si philosophi atque viri sapientes notas quasdam naturae persequantur, quae virtutes indicent innatas: tales enim commode signis naturalibus indicantur propter magnam, quam corpus habet cum animo, societatem. Nam praeter intellectionem, nullam in nobis actionem edi putat Aristoteles, quae non sit corpori cum animo communis. Itaque virtutes morales, quae proprie dicuntur, quoniam cum affectibus connexae sunt, non hominis parti, sed toti composito tribuendas esse docet, atque omnes, etiam justitiam, in ea parte animae generari et inesse, quae rationis est expers, apta tamen parere rationi, quamquam sine hac et intellectu, qui prudentia perficitur, nec

Ethic. 10.

Ethic. 6.
De prudentia
et solertia, ac
subjecto vir-
tutum mora-
lium.

*Arist. Magn.
mor. 1.*

Ari. de an. 1.

Ethic. 10.

Magn. mor. 1.

ge-

generari queant, nec suis muneribus generatae fungi. Aliud est enim studiosum esse, aliud studiose facere. Nam hoc est fortem esse, temperantemque et justum, sic appetitum habere domitum et affectum virtutis habitu, ut in periculis obeundis, in capiendis voluptatibus, in commerciis et distributionibus paratus sit, velitque parere rectae rationi. Nam licet voluntas proprie cum ratione intelligatur, velle tamen interdum quocumque appetitu dicimur per vulgata translatione; ut velle coenare, velle dormire: qua translatione usus mihi esse videtur Aristoteles, cum justitiae disputationem exordiens diceret, justitiam esse, qua qui affectus est, juste agit, et justa vult, nisi forte verbum retulit ad rationem cunctis virtutibus moderantem, et cujus appetitus, quae voluntas dicitur, congruit cum appetitu sensus in actionibus cujusque virtutis morum, praeter continentiam, quae videtur esse in alio genere.

XXXVI. Sic igitur affectus appetitus rationi obtemperat non gravate: nimirum haud aliter, quam equus tractabilis effectus, et scienter assuefactus prudenti aurigae seu vectori paret: qui equus etiam in stabulo eadem quasi virtute censetur. Sed ut hic tractari flectique sine rectoris scientia et virtute, quae potior est, non potest, sic appetitus ratione vacans, quamvis magnis virtutibus sit munitus, tamen sine voluntate et prudentia principe virtute, quae pertinet ad partem rationis, nec fortiter agere, nec temperanter, nec juste denique potest. Quae ratio eadem est ceterarum studiosarum actionum, quibus actionibus consistit activa vita: haec autem idcirco parti rationis compoti prudentia praeditae tribuitur, quoniam recta ratio velut quidam architectus est in actionibus humanis, et civili vitae moderatur: habitus autem studiosi haud dubie retinentur in ea parte animae, quae concitatur affectibus, quorum mediocritates vocant virtutes, hoc est, in rationis experte, cui cum corpore plurimum constat esse commercii: quamquam prudentia, ut tradit Aristoteles, cum virtute morum copulata sit, et haec vicissim cum prudentia.

XXXVII. Ad naturales igitur virtutes quantum faciat corporis constitutio et habitudo, vel ex eo licet intelligere, quod in generatione traduntur, et fiunt plerumque, ut in ceteris animantibus, perinde in hominibus hereditariae: quo fit, ut qui bonis cujusque ordinis parentibus orti sunt, de iis bonam spem concipiamus, volente natura filios parentibus similes generari, interdum etiam

De ani. 3.

Ethic. 5.

Ethic. 7.

Ethic. 10.

Cur de proborum horum filii sit benesperandum.

*De natu. ani-
mal. lib. 7.
cap. 6.*

majoribus , ut de Aethiope Siciliensi refert Aristoteles : ex cujus adulterio natam filiam colorem matris albae imitatam esse , sed qui natus est ex ea puerum , Aethiopsis avi colorem retulisse memorat : quae ratio cum similis sit in naturae ceteris operibus , dubitari non debet , quin ad spem virtutum naturalium intersit , non solum qualibus quisque parentibus sit ortus , sed etiam qualibus majoribus ; spe tamen quandoque fallente . Quamquam enim , ut ex hominibus homo , ex belluis bellua , sic ex bonis viris nasci boni viri censeantur , eisdem philosophis auctoribus ; saepe tamen natura hoc , cum velit , efficere non potest : ita fit nonnumquam , ut ex praestantibus et optimis viris filii degeneres et mali procreentur , quemadmodum contra ex malis et ignavis praeter spem boni strenuique nascuntur ac virtute praestantes , de quibus scitum est illud satirici :

Juven. sat. 8.

*Malo pater tibi sit Thersites , dummodo tu sis
Aeacidae similis , Vulcaniaque arma capessas ,
Quam te Thersitae similem producat Achilles .*

Neque vero si natura tanta sunt ad virtutem , quanta diximus , adjuvamenta , protinus vera virtus cuiquam natura vel contingit , vel est funditus negata , adsit modo rationis usus . Nemo enim aut nascitur , aut volens efficitur tam vitiosus , ut penitus lumen rationis , et quod theologi vocant liberum arbitrium , amittat : cujus ea vis est , ut cogere possit appetitum quamlibet pertinaciter repugnantem , et habitum oppositum multis officiis obeundis ac repetendis ingenerare , magno illustrium philosophorum exemplo Stilponis Megarii , et Socratis Atheniensis , qui studio et honestarum rerum exercitatione vitiosam naturam non solum domuisse , sed magnis etiam virtutibus affecisse , et tamquam insevisse memorantur .

Maximam esse vim ad bonos mores in studiosa et honesta educatione .

Plat. in 1. de leg. et 2.

XXXVIII. Ceterum nihil tam efficax est ad vitia naturalia corrigenda , quam bonorum prudentiumque parentum cura teneros filios sic educandi , ut amare honesta , turpia vicissim odio habere assuescant . Nam cum virtutes omnes morales , ut supra diximus , in voluptatibus et doloribus versentur , magni refert , quibus quisque rebus oblectetur a puero , aut vicissim doleat . Itaque serviliterne pueri , ut fere egenorum , an liberaliter , ut filii locupletum nobiliumque solent , educentur , multum interest ad fortitudinem ac magnanimitatem , de quibus , ut arbitror , satis jam multa disseruimus . Audistis

distis autem non a nobis excogitata, aut ingeniosa vanitate ficta, sed quae summi tum veteres, tum etiam juniores, et Christiani philosophi magno consensu tradidere. Quibus virtutibus cognitis, quoniam his potissimum constat optimum non modo militem, sed ducem etiam censi, facilis, ut arbitror, erit propositae quaestionis definitio et argumentorum, si quibus occurratur, confutatio. Sed hanc partem, quoniam dies jam multum processit, in postmeridianum, si vobis videtur, differamus: Pontifex enim in his hortis meridiabitur, ac nobis licebit, sumto cibo, in hunc ipsum locum, qui commodissimus est ad congregandum, convenire. Id cum omnibus placuisset, discesserunt.



DE CONVENIENTIA DISCIPLINÆ MILITARIS
CUM CHRISTIANA RELIGIONE

LIBER TERTIUS.

I. **N**ONA igitur diei hora omnibus, ut placuerat, reversis, non statim licuit in locum eundem convenire, quippe in quo Pontifex valetudinis vel animi causa inambulabat, donec cum Francisco Quignonio et Inacho Mendoza Cardinalibus Hispani generis, et illustrium familiarum viris, qui forte intervenerunt, in conclave praetorii recessit. Tunc vero cum in eum locum succedentes consedisent, conversus ad Alfonsum Leopoldus: Cur, inquit, Alfonse, Genesium, si forte in comitatu adest Quignonii Cardinalis, non vocamus, ut intersit nostrae disputationi, et quid de his rebus sentiat, intelligamus? ut enim nosti, nec abhorret ab his studiis, et solet talia munera libenter obire. ALF. Ille vero libentissime: quapropter heri cum a vobis discessissem, hominem adivi (nec enim a me longe in campo Martio diversatur) ut ei colloquium hoc disputationemque vestram denuntiarem: molesteque tuli, quod ipsum offendi paulo gravius aegrotantem: qui tamen, audita ex me propositae quaestionis summa, praefatus se vehementer dolere, quod sibi per valetudinem huic disputationi adesse non liceret, brevi sermone usus est, sed quo facile indicaret, se Democrati, si adesset, etiam atque etiam fuisse assensum. DEM. Gratum erit, si nostra sententia hominum doctorum, eorumque non imprudentium iudicio probabitur.

II. LEOP. Redeamus igitur, Democrates, ad sermonem hodie nobis de militaribus virtutibus institutum, quo recte tu quidem et copiose visus es mihi tum de fortitudine, tum de magnitudine animi disseruisse: sed si haec virtus, in qua laudanda tam multus fuisti, et merito me iudice fuisti, homines facit sibi magnopere placentes (magnanimum enim magnis sibi rebus dignum videri confirmasti, et item aliorum hominum contemptores) eademque virtus divitiis et externis bonis augescit; qui potest haec cum disciplina Christiana cohaerere, humilitatem in primis et paupertatem commendante? sibi namque placere, et alios vicissim despiciere, superbi hominis esse videtur et arrogantis: hoc autem vitium idcirco maxime omnium de-

Argumenta
cur magnitu-
do animi ab-
horrere vi-
deatur aChri-
stiana religi-
one.

de-

detestatur Christiana philosophia, quoniam humilitati contrarium habetur, virtuti a Christo maxime omnium nobis ad imitandum propositae, non solum verbis, cum ait, *Discite a me, qui mitis sum et humilis corde*, sed opere multo etiam magis. Nam primum, cum Deus esset, homo factus est, infirmaque et contemtibilia mundi elegit: deinde, cum omni virtute ceteros omnes homines excelleret, eo tamen se demisit, ut pedes etiam suorum discipulorum lavaret: ac ne persequar singula, tota vita Christi in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit, humilitatem praecipue commendans, ut ait Augustinus, qui alio in loco ad capessendam et obtinendam veritatem primam viam humilitatem esse testatur, et secundam, et item tertiam: ut inter partes eloquentiae de pronuntiatione traditur respondisse Demosthenes. Et Paulus Colossensibus scribens, *Induite, inquit, vos, sicut electi Dei, sancti et dilecti, benignitatem et humilitatem*. Itidem ad Ephesios, *Obsecro vos, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate*. Romanos autem, quos efferri sciebat ex imperii magnitudine atque gloria rerum gestarum, velut exprobrans eis hoc, quod ipse tribuis magnis animis, magna cogitare atque efferri vetat: *Ne sitis, inquit, alta sapientes, sed humilibus consentientes*. De paupertate vero quid dicam? cum Christum constet ex paupere virgine viro pauperi desponsata natum, damnatis ubique divitiis pauperem vitam perduxisse, eundemque Apostolos nullos nisi pauperes habuisse? Ad haec evangelium epistolasque Pauli paupertatem in primis commendare, insectari divitias tamquam maxima virtutis et religionis impedimenta? *Beati pauperes, aiebat Christus, quoniam vestrum est regnum Dei*. Idem: *Facilius est, inquit, camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei*: et alio loco: *Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus*. Quam doctrinam Christi explicans Paulus in ea, quae est ad Timotheum epistola, clamat: *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas*. Cum igitur tota paene Christiana disciplina, ut testatur etiam Augustinus, sit humilitas, et perinde paupertas, haud equidem video,

deo , quomodo recte possit ei cum ista elatione animi , quae magnanimitas dicitur , et divitiis tantopere gaudet , convenire .

De humilitate, quae cum esse videatur adversa magnanimitati, est tamen eius pars.

III. DEM. De divitiarum , Leopoldi , paupertatisque ratione dicemus paulo post : nunc , si videtur , de humilitate disseramus : cuius me peropportune admonuisti . Nam de magnitudine animi disputantes , nullam facere mentionem humilitatis , vitiosum fortasse videatur , utique si res agatur inter homines Christianos , a quibus maxime virtutem hanc nominatam , in primisque celebratam esse certum est , vocabulo veteribus philosophis tum Graecis , tum etiam Latinis propemodum ignoto . Hebraeos enim video neque vim hujus virtutis , neque nomen ignorasse . Itaque ceteri his modo rebus proprie tribuebant humilitatem , Graece ταπεινωσιν ἢ ταπεινότητα nuncupatam , quae depressae humi parum sese in sublime tollerent , ut myricas , arbustaque cetera , et pastorum casas humiles solent Latini poëtae nuncupare : tum per translationem homines eos vocabant *humiles* , qui essent vel animo vel fortuna dejecti : quod ad vituperium potius et infirmitatem , quam ad laudem et virtutem referebant . Christiani vero divinis sacrarum scripturarum oraculis edocti gravissimum peccatorum esse superbiam , atque hoc scelere et Luciferum cum suis angelis corruisse , et primum hominem se suamque posteritatem corrupisse ; nullam aequae virtutem demirati amplexique sunt , ac eam , quae maxime cum hoc crimine pugnaret , et quam in Christo ac ejus Apostolis clarissimo lumine fulsisse intelligebant ; humilitatem idcirco vocatam , quoniam ut superbi , quidquid in ipsis est facultatis , tum verbis et ostentatione , tum etiam opinione exaggerantes efferuntur , non homines tantum , sed divinas saepe leges contemnentes ; sic humiles appellati suarum imbecillitatum magis , quam virium memores cohibent animi tumores , Deumque primum summa pietate colunt reverenturque ut omnis virtutis et cunctorum bonorum auctorem : deinde angelos et cives caelestis Jerosolymae , tum homines ceteros , quo se putant virtute munereque Dei praestantiores , hoc sibi praeferunt majore intervallo : humilitas enim quamvis serpat etiam ad humanam societatem , primum tamen ac praecipue versatur in divino cultu , et ea reverentia , qua supplices Deum veneramus , exiguitatem nostram et illius majestatem agnoscentes . Quo factum est , ut modo dicebam , ne tam praeclara virtus fuerit a veteribus philosophis celebrata , praeter Platonem , cuius ea verba sunt in opere de *Legibus* : *Deum* , inquit , *semper*

assectatur iudicium vindex eorum, qui a lege divina desciscunt: cui iudicio adhaerens, qui beatus esse debet, eundem sequitur humilis atque modestus: qui vero superbia effertur, vel opibus aut honoribus formave corporis intumescit, juvenili et stulto flagrans animo, quasi nullo praefecto duceve indigeat, sed ipse potius valeat aliorum esse dux et moderator, hic deseritur a Deo, relictusque et alios sui similes nactus, exsultat, nec sine vulgi laude conturbat omnia.

IV. Atque haec quidem Plato de humilitate et superbia divinitus, ut pleraque, memoravit: ceteri autem antiqui philosophi de virtutibus morum disserentes, eas potissimum et paene solas persecuti sunt, quae communitatem hominum vitamque civilem attingunt, humilitas enim pars est, et quidem praecipua religionis, quae ut a junioribus theologis definitur, homines facit supplices esse Deo, et propter Deum ceteris hominibus concedentes: hortante nos Petro apostolo, ac dicente: *Subjecti estote omni humanae* 1. Pet. 2. *creaturae propter Deum.* Quamquam si placeat priscorum theologorum, qui philosophiam involucris fabularum tradiderunt, praecepta repetere, ab illis quoque humilitatem vel in primis commendatam esse haud dubie reperiemus. Quid enim aliud egerunt Homerus et Hesiodus, quos veteres theologos Aristoteles appellat, gigantum cum diis pugnam casumque memorantes, nisi homines admonuerunt, ut Deum supplices colerent, cuius potentiae hominum vel robustissimorum vires comparatae umbra quaedam inanis, gigantum exemplo videri possunt; aut certe simia, quemadmodum testatur Plato, de homine etiam sapientissimo verba faciens, quae recordatio propria est humilitatis? Sophocles quoque prudentissimus poeta Ajacem facit per superbiam perire, cum viribus humanis fretus opem divinam contempsisset, spreto patris consilio, qui proficiscenti ad bellum nihil aliud quam Dei reverentiam, hoc est, humilitatem commendasset. Sed quoniam humilitati in humana etiam communitate suum esse locum paulo ante dicebam, erras, Leopolde, si hanc forte putas, ut nomine, re itidem fuisse ab antiquis philosophis ignoratam. Non igitur fuit humilitas ab illis ex moralium virtutum choro rejecta, sed potius in honoratissimo loco collocata: est enim (nisi prorsus ego caecutio) pars ejus virtutis, quam tu videris ipsi contrariam esse existimare, magnanimitatem dico tantopere a nobis paulo ante veterum testimonio laudatam.

Plato in Hippia majore.

V. LEOP. Quid ais, Democrates, humilitatem putas partem esse magnanimitatis? quid hoc aliud est, quam ignem cum aqua copulare? Nonne magnanimitatis est animum attollere, et quasi inflammare ad res magnas concipiendas? humilitatis contra dejicere, et velut exstinguere ardorem concitatum? Atqui contrarios esse habitus, quorum actus sunt oppositi, ipse tuus Aristoteles est auctor.

Ethic. 5.

DEM. Speciosum argumentum, sed enerve. Nam tu mihi vicissim responde: Animum impellere ad magna pericula subeunda, eundemque a magnis periculis ratione deterrere, nonne opera contraria esse, eodem modo confitebimur? LEOP. Fortasse. DEM. At utrumque opus esse fortitudinis, consensus est philosophorum, nimirum, quoniam quae inter sese pugnare videntur in rebus agendis, haec in eundem finem relata, societatem quamdam habere existimantur. Intelligendum est igitur in rerum difficilium et arduarum cogitatione ancipitem esse et quasi lubricum motum animorum: nam quo voluptas ob rei praestantiam impellit, honestasque vocat, inde dolor retrahit propter laborem, difficultasque deterret, in quorum utroque saepe modus exceditur, diversaque ratione peccatur. His autem vitiis ut occurratur, non duabus virtutibus est opus, ut quidam falso putavere, sed una satis est, quae medium extremorum tenens, ratione, velut calcaribus et freno motus animi a dolore et voluptate profectos, quatenus licet, impellendo, vicissimque revocando moderetur. Ut igitur liberalitas una virtus motus animi temperat in pecuniis dandis et accipiendis, fortitudo in timore et audacia: sic magnanimitas in magnis honoribus petendis, aut vicissim fugiendis, et quemadmodum liberalitas, ut oportet, dando, quam accipiendo, fortitudo audendo, quam timendo magis cernitur: sic magnanimitas in egregio magnarum rerum conatu et honorum appetitu suum et splendorem et nomen magis ostendit, quam in talium rerum modesta fuga, quae cum pars magnanimitatis sit, tamen humilitatis nomine plurimum est a religiosis hominibus celebrata. Nam ut in periculis capitalibus una ratio impellendi et revocandi unam efficit virtutem: sic item in magnis honoribus, quoniam utrobique hoc agitur, ut motus animi rationi pareat, ne ultra quam decet illecebra rei progrediatur, neve rursus officium deserat difficultate deterritus. Quod moderamentum in periculis fortitudo, in honoribus magnanimitas veteri vocabulo nuncupatur. Sed quemadmodum virum fortem, quatenus

pe-

pericula ratione vitat, cautum possis appellare, sic magnanimus vocatur humilis, quatenus ratione cohibet magnorum honorum appetentias.

VI. Non igitur audiendi sunt, qui humilitatem docent ad temperantiam esse referendam, Aristotelis testimonium parum videlicet apposite doctrinae suae praetendentes, propterea quod Aristoteles temperatum eum appellet, qui ut est, sic se parvis honoribus dignum esse censet: quos miror non advertisse temperantiae nomine non humilitatem illo in loco, sed aliam longe diversam virtutem fuisse a philosopho nuncupatam: humilitas enim non tenui virtute hominibus suam exiguitatem agnoscentibus tribuitur, sed iis dumtaxat, qui, cum sint magna virtutis dignitate, convertentes tamen cogitationem ad ea, quibus deficiunt, inferioresque sunt his, cum quibus conferuntur, cohibent animi tumores, et non solum Deum spiritalesque substantias reverentur, sed hominibus etiam quacumque ratione praestantioribus concedunt: qualis Christus fuit, Virgoque mater, quales item Apostoli, viri omni genere virtutis decorati. Non igitur humilitati, sed ei virtuti nomen tribuit temperantiae, quam paulo ante nomine vacare, sed ab extremis modo ambitionis, tum contrarii vitii vocabulum mutuari dixerat: hac enim censentur, qui ratione temperant parvorum et ordini virtutisque suae convenientium honorum appetentiam. Quo intelligitur haud dubie, eadem non suo, sed alieno nomine temperantia per similitudinem, ut pleraque, et translationem nuncupari, de qua tamen virtute idem Aristoteles in libris *Eudemiis de moribus* ad hunc modum edisserit: *Tali, inquit, habitu praeditus videtur quidem, non tamen est magnanimo contrarius, neque enim opponitur ei in hoc, quod sit vituperandus, cum sese habeat, quemadmodum ratio jubet, et est natura idem atque magnanimus: nam uterque quo dignus est, hoc sese dignatur honore, et hic fieret dignitate suppetente magnanimus, nam se pro meritis honore dignaretur.* Ad haec temperantia eodem auctore in eis modo voluptatibus temperandis haud dubie versatur, quae sensibus, nec his omnibus, sed tactu et gustatu capiuntur, honoris jucunditate nullo tali corporis sensu fruimur, sed mente potius, ut docet Aristoteles tertio *Ethicorum*. Ethic. 4.

VII. Ceterum nulla virtus est ex iis quidem, quae temperant humanos affectus, quin commode valeat per similitudinem ac

Ethic. 7

translationem temperantia nuncupari, quatenus ut temperantia in corporeis voluptatibus, sic ceterae virtutes in sua quaeque materia concitato animo praescribit et modum imponit, ne ultra quam decet, illecebra voluptatis progrediatur: sic fortem, sic etiam liberalem temperanter agere saepe dicimus: in quo ille spreto morte, ab audacia; hic pecunias contemnens, temperat tamen a prodigalitate. Ergo cum latissime pateat voluptas; pertinet enim ad omnem illecebram, qua capitur animus vel concitatur: et prudens voluptatis moderatio cunctis moralibus virtutibus sit communis: nihil mirum est, si earum quaeque continentia et temperantia receptissima translatione interdum nuncupatur, teste Aristotele, qui continentiam testatus in eodem genere rerum versari, quo temperantiam, tamen intemperantes irae, honoris et lucri eos appellari tradit, qui sunt harum rerum studiosiores; quas nemo dubitat velut materiam esse fortitudinis, magnitudinis animi ac liberalitatis, contrariorumque vitiorum. Qua ratione haud equidem inficior, humilitatem posse temperantiam appellari, alieno tamen vocabulo, proprio enim et suo magnitudo animi nuncupatur.

VIII. Non enim si magnanimus, quem, ut diximus, omni virtute praeditum esse oportet, et dignus est, et dignum se juste putat honoribus, qui maxime conveniunt ordini suo, protinus quoscumque honores suo jure postulabit. Achilles enim apud Homerum, exceptis Atridis, procerum Graecorum sine controversia erat honoratissimus: sed cum se voluit Agamemnoni aequare, nec putavit regi concedendum, Nestoris sapientissimi senis oratione taxatus est, et omnium prudentium judicio superbiae crimine damnatus. Romanorum vero Q. Fabius Maximus, Marcus Marcellus, ut ceteros taceam viros magnanimos, consulares honores, qui maximi erant in sua republica, poterant sibi jure delatos esse putare: eosdem quis tulisset, siquis eorum in sua civitate honores regios affectasset? Certe Africanus Scipio ad urbem Hispaniae Betulam Asdrubale devicto, cum circumfusa omnis multitudo Hispanorum et ante deditorum, et pridie captorum, ac sine pretio dimissorum ingenti consensu regem eum appellasset, silentio per praeconem facto, sibi maximum esse nomen imperatoris dixisse traditur, quo se milites sui appellassent; regium nomen alibi magnum, Romae intolerabile esse. Itaque vir summus per unam magnanimitatis partem honores imperatorios suis virtutibus convenientes ascivit: per al-

alteram, quae humilitas vocatur, regios velut superbos et invidiosos repudiavit. Age vero fingamus aliquem choro virtutum omnium stipatum, eundemque in rerum fastigio positum, fac esse Romanorum principem, multo etiam Trajano meliorem, universo quoque orbi dominantem: permittemusne huic, ut arroget sibi divinos honores, quibus stulti quidam reges ac imperatores affectatis, magnam ridendi materiam prudentibus viris praebuere? Nullus igitur homo tantus est, aut tantopere praestans meritorum magnitudine, in quo non sit humilitati locus, dum vel se cum potioribus, vel tenuitatem humanam comparat cum infinitate divina. Ut magnanimus is esse intelligatur, qui magnis quidem honoribus est dignus, et his sese dignum existimat, non tamen sua dignitate majoribus. Hoc est enim quod Aristoteles ait, magnanimum esse quidem magnitudine extremum, medium tamen tenere, si rationem spectes: quod idem alio in loco apertissime docet, magnanimum definiens, qui se honore dignatur nec minore suis meritis, nec majore. Itaque ejusdem virtutis est, summis viris, a quibus virtute, quae Dei munus est (*ut omne datum optimum et donum perfectum*) non superatur, se parem ducere, sua merita Deique munera existimatione recta metientem, et qua inferior est, potioribus concedere, magno et illustri Aristidis exemplo, qui in bello Marathonio, cum inter Atheniensium imperatores, quos ea civitas more suo complures cum aequa potestate eidem bello praefecerat, excepto Miltiade, dignitate, gloria, potentia primus haberetur, Miltiadi tamen, cujus prudentiam in bello gerendo anteponebat suae, concessit, ut solus imperaret. Nam cum inter ipsos duces convenisset, ut vicissim per dies singuli summam rei administrarent: Aristides suae diei jus imperandi transtulit in Miltiadem. Quam modestiam animique magnitudinem cum nemo collegarum sustinuisset non imitari, summa auctoritas imperandi ducum omnium consensu delata est uni Miltiadi: atque id consilium constat, sublatis contentionibus, gloriosissimam de Medis victoriam Atheniensibus peperisse.

IX. Poteram hoc in loco illustra magnanimorum Romanorum referre: sed commodius eadem a monumentis sacris mutuabimur: Paulumque auctorem adhibebimus, virum divinum et re vera magnanimum, qui cum gratiam perpendit, qua fuerat donatus a Deo, ceteris apostolis nihilo se inferiorem profitetur: de primis enim loquebatur, cum diceret: *Mibi enim, qui videbantur esse aliquid,*

Ethic. 4.

Magnorum
moral. 1.

Jac. 1.

Ad Galat. 2.

ni-

nihil contulerunt : sed contra cum vidissent , quod creditum est mihi evangelium praeputii , sicut et Petro circumcisionis (qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis , operatus est mihi inter gentes) et cum cognovissent gratiam , quae data est mihi , Jacobus , et Cephas , et Joannes , qui videbantur columnae esse , dexteris dederunt mihi et Barnabae societatis : et paulo post Petro se Antiochiae in faciem restitisse profitetur , propterea quod reprehensibilis esset , nec dubitat multis in locis ceteros homines , ut suas virtutes aemulentur , adhortari. *Volo* , inquit ad Corinthios scribens ,
 I. Cor. 7. *vos omnes esse , sicut me ipsum* : et alio in loco : *Imitatores* , ait ,
 I. Cor. 4. et II. Pbi. 3. *estote mei , sicut et ego Christi* : sed et Philippenses eisdem prope modum verbis adhortatur : idem e contrario cum sua delicta recordatur , humi se dejicit , nec apostolorum ordine dignatur. *Ego* , inquit , *sum minimus apostolorum , qui non sum dignus vocari apostolus , quia persecutus sum ecclesiam Dei* . Quo in loco ubi se per humilitatem depressit , protinus per alteram magnanimitatis partem extollit. *Nam gratia* , inquit , *Dei sum id , quod sum : et gratia ejus in me vacua non fuit , sed abundantius illis omnibus laboravi* : ut alio in loco : *Non sum liber ? non sum apostolus ? nonne Christum vidi ? nonne opus meum vos estis in domino ?* Vides , ut humilitas non modo a magnanimitate non dissidet , sed maximam etiam habet cum ipsa societatem : est enim virtus eadem , quae motus animi in magnis honoribus moderatur .

X. Nec te moveat , quod Christus praeter suam dignitatem pedes lavit apostolorum : neque enim turpiter aliquid deliquit ignavia vel ignoratione suae dignitatis : quod pusillanimis accidit :
 Joan. 13. I. Cor. 1. *Sed* , auctore Paulo , *quae stulta sunt mundi elegit , ut confundat sapientes : et infirma mundi , ut confundat fortia : et ignobilia mundi et contemtibilia , et ea quae non sunt , ut ea quae sunt , destrueret : ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus* . Ceterum , qui apostolorum pedes tūm lavit , ut exemplo damnaret levitatem ambitiosorum ac superbiorum : hic eisdem paulo post dixit : *Vos me vocatis magister ac domine , et bene dicitis , sum etenim* . Itaque id officium optime poterat humilitate salva praeterire , sed cuique licet a suo jure decedere , quod sine alterius injuria fiat , praesertim Christo , qui sponte sua criminum alienorum poenas dare voluit innocentissimus suppliciis affectus et morte cum ignominia ; ac ut
 Ad Pbi. 3. verbis utar Pauli : *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mor-*

mortem, mortem autem crucis. Itaque a Christo et apostolis perfectissimis hominibus multa facta sunt, quae possunt a nobis sine crimine praeteriri: nam mediocribus hominibus, si morum teneant et affectuum mediocritatem, etiam citra apostolicam perfectionem licebit justitiam, virtutes omnes amplectentem, colere: *In qua qui* Ad Rom. 14. *servit Christo, ut ait Paulus, placet Deo, et probatus est hominibus.* Hunc igitur recte humilem simul atque magnanimum et dicemus et sentiemus, qui primum supplici pietate Deum colet, deinde recto iudicio sua ceterorumque hominum merita virtute potissimum metitus, aliis se vel postponet, vel, quemadmodum ratio postulabit, anteferet. Deum enim colit, qui virtutem, opus atque donum ejus, colit; virtus autem non in aliis modo pro sua magnitudine colenda est, sed ubilibet etiam in se ipso cuique nihilo secius pro merito tum tacita existimatione, tum etiam verbis veneranda: scitum est enim illud Augustini: *Cum humilitatis causa* August. de verb. apostol. *mentiris, si non eras peccator, antequam mentireris, mentiendo efficeris quod vitaras;* et alio in loco: *Non ita caveatur, inquit,* August. super Joan. *arrogantia, ut veritas relinquatur.* Quae omnia huc pertinent, ut de se quisque etiam humilis non secus, ac res est, vel sentiat, vel loquatur. Nec enim aliter sentiendum est, aliter loquendum. *Nam quomodo, inquit, est humilitas, ubi regnat falsitas?* Et profecto dissimulatio, quae Graece dicitur *ironia*, vitium est non solum a religiosis viris, sed a philosophis etiam damnatum. Cavendum est tamen, ne nobis imponat amor studiumque nostri, ut saepe accidit in iudicando. Quamquam non ignoro a quibusdam sanctis eisdemque perdoctis viris humilitatem intelligi, cum sua quisque peccata cum aliorum virtutibus conferens, ea ratione se cunctis inferiorem arbitratur: quo pertinere videtur illud Pauli praeceptum Philippenses in hunc modum adhortantis: *Nihil per con-* Phil. 2. *temptationem aut inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea, quae aliorum.* Cujus sententiae atque praecepti summa est, ut qualemcumque virtutem alterius et recte factum laudemus et veneremur, vitium et turpitudinem etiam in nobis aspernemur et contemnamus: quod nihil abhorret a magnitudine animi, quae virtutem ubique cunctis rebus anteponit.

XI. LEOP. De humilitate, Democrates, nulla nobis erit amplius concertatio, nam tibi equidem assentior ipsam neque cum militia,
ne-

De ratione
divitiarum,
et quae ne-
cessariae sint
ad aliquas
virtutes fun-
gendas, et de
commodis ac
incommodis
ipsarum.

neque cum magnitudine animi pugnare, sed probe potius eisdem convenire. Ceterum divitiae vereor, ut dixi, quibus animi magnitudinem augescere confirmasti, ne vehementer praeceptis evangelicis adversentur.

XII. DEM. Magnarum virtutum et egregiae sanctitatis exempla, Leopolde, si verum quaerimus, et libeat temporum memoriam a vetustate repetere, multo frequentiora, et plerumque majora in omni aetate a tenui fortuna viris edita, quam ab opulentis et locupletibus reperiemus. Pauper erat Aristides, pauperior Phocio: cujus filiae post mortem patris, qui munus Alexandri centum auri talentorum magno animo repudiaverat, nubiles tamdiu propter egestatem maritis caruere, donec publica pecunia dotatae collocarentur. Sed ut Atheniensium nemo his pauperior rempublicam attigit, sic nullus justitia, frugalitate, magnitudine animi major fuit, pares vero quam rarissimi. Quorum Aristidem constat non ob aliam causam in exilium scelere invidorum fuisse missum, nisi quod nimis justus esse videretur, ut Damon Periclis praeceptor, quod nimis sapere. Romanorum respublica, ne singulos referam, tunc beatissima fuit et omni virtute praestans, cum consules et dictatores ab aratro accersebantur: tunc corrui in omne flagitium delapsa, cum suas opes et divitias ferre non potuit. Ergo quae Fabricii, Reguli, Atilii, Cincinnati, ac Cn. Scipionis summorum virorum frugali et modesta paupertate creverat cum maxima gloria, eadem Crassi, Pompeji ac Caesaris ambitiosis opibus turpiter est labefactata.

XIII. LEOP. Quin tu, Democrates, profanas respublicas omit-
tis: et quod hujus loci proprium est, ecclesiastica initia, progres-
sum, et hoc velut senium commemoras? Num tibi par sanctitas et
religio sacerdotum esse videtur, postquam opes ecclesiasticae tam
immense creverunt, et Episcopatus non modo Romanus, sed ple-
rique etiam alii velut regna esse coeperunt, et tunc cum Petrus,
ceterique apostoli stipe religiosorum hominum alebantur, et Paulus
dum praedicaret evangelium, nec dies, nec noctes operi parcens vi-
ctum suis manibus quaerebat? aut cum Clemens, Ignatius, Marcel-
lus, Polycarpus, Athanasius, et ceteri sanctissimi Pontifices et Epi-
scopi parvo contenti sic sacerdotium suscipiebant, ut id non opu-
lentiam, sed omnis virtutis exercitamentum, et occasionem martyrii
esse existimarent? DEM. Ista quidem, Leopolde, non abhorrent a ve-
ro: nec dubium est, quin inter initia nascentis ecclesiae, et quamdiu
Chri-

Christianum nomen principibus erat vel invisum vel suspectum, cum ceteri Christiani sanctius viverent et religiosius, tum in primis sacerdotes, qui ceterorum quasi duces erant in certamine fidei, eorundemque liberalitate in diem aut tenui admodum censu vivebant, quam post ecclesiae assertam libertatem, auctoritatemque confirmatam opibusque munitam. Sed hujus mali culpa, si aequi iudices esse volumus, in moribus est, non in divitiis: nec enim umquam vitio datum est cuiquam, quod dives esset: at multis, quod divitias malis artibus quaerent, vel utcumque partis ad turpes voluptates, aut injuriam et superbiam abuterentur: quod pertinet ad morum corruptelam.

XIV. LEOP. Quid si morum ista corruptela ex ipsis nascitur divitiis? videmus enim non quidem omnes, sed tamen magna ex parte divites superbos esse et injuriosos in tenuiores, aut turpibus etiam voluptatibus servientes: pauperes e contrario modestos, sine alterius injuria in officio contineri. DEM. At hoc ipsum argumentum est, neutrius causam esse vel divitias vel paupertatem, quod neque omnes divites mali sunt, nec omnes pauperes boni: quod tamen oportuit, si aut in divitiis inesset vitium, aut in paupertate virtus: nec igitur divitiae malum sunt sponte sua, nec paupertas bonum: sed ut verissime tradidit Paulus: *Omnia munda mundis sunt, coinquinatis* Ad Tit. 2. *autem et infidelibus nihil est mundum, sed coinquinatae sunt eorum et mens et conscientia.* LEOP. Cur igitur divitum, quam egenorum plures proportione in vitio sunt, et majore iniquitate? DEM. Nempe quia omnes homines proclives sunt ad malum, et divites majorem habent tum licentiam, tum etiam occasionem peccandi, quorum utrumque pauperibus abest: sed si propterea divitiae vituperandae sunt et paupertas laudanda, nimirum eadem ratione perspicacia et solertia, robur, venustas dabitur vitio: inscitia, tarditas, infirmitas, foeditas erit in laudibus. Ingeniosi enim intelligentes, robusti ac pulchri plus fallere atque nocere possunt, quam hebetes imperiti, imbecilli et deformes. Morum igitur corruptio et pravitas, quibus malis Christus et Paulus ut mederentur, omnem licentiam peccatique occasionem subtractam esse volebant, facit, ut divitiae plerisque noceant, paupertas prosit, laboribus et rerum inopia viam ad voluptates et majores injurias intercludens. Quae tamen interdum ad rapinas non-
De paupertate, ejusque commodis et incommodis.

Lib. 1. de Re-
pub.

ponderis habere sanxerunt. Certe Plato nec opulentiam, nec paupertatem vindicat a magnis incommodis, utriusque tradens comitem esse studium rerum novarum: praeterea ab illa turpes voluptates segnitiamque pari, hanc homines efficere maleficos et avaros. Sic Salomon *Prov. 30. Mendicitatem, inquit, et divitias ne dederis mihi, sed tantum tribue victui meo necessaria: ut mediocritatem quamdam vir ille divinus, quemadmodum ceteris in rebus, sic etiam in opibus maxime probare videatur.*

De Platonis
republica et
utrum habe-
re facultates
communes
conveniat
Christianae
religioni.

XV. LEOP. Obsecro te, Democrates, quoniam opportune Platonem nominasti, citato loco ex eo libro, ubi sic ille rempublicam constituit, ut nihil in ea suum quisque habeat, sed sint omnia omnibus communia: putabimusne Christo talem reipublicae rationem placuisse? hoc enim mihi saepe venit in mentem existimare recolenti, et Christum maxime homines adhortari solitum, ut sua quisque bona relinqueret, et hoc initio a plerisque Christianis fuisse factitatum, qui possessionibus distractis pretium apostolis in commune conferebant. DEM. Noli hunc lapidem movere, Leopolde, non sunt omnia ubique disserenda. Ceterum Platonica respublica non solum ab Aristotele summis rationibus confutata est in eis libris, quos *de Republica* conscripsit, unde sumere poteris, quae ad hunc locum pertinebunt, sed hominum etiam vita magnoque consensu rejecta: quod est indubitato argumento, Christum nullam talem reipublicae formam voluisse in hominum vitam inducere. Nefas est enim existimare Christum irrito conatu id egisse, atque in universum praecepisse, quod nulli civitati, nulli populo persuaserit. Nec sic Paulus ceterique apostoli docebant, sed quemadmodum nuptiis coelibatum, sic divitiis paupertatem praeferiebant propter vitae, quam ipsi elegerant, perfectionem, non ignari et nuptias et divitias esse ad humanam civilemque vitam necessarias. Est igitur magni et religiosi animi divitias in paupertate contemnere, in secundiore fortuna eisdem prudenter uti ad beneficentiam et liberalitatem, et in utraque conditione virtutem colere et libertatem retinere, cupiditatibus imperantem: his enim longe turpius, quam hominibus servitur: quam *alteri*, ut Cicero ait, *se adipisci posse arbitrantur, si opes magnas habeant; alteri, si contenti sint et suo et parvo*: quorum neutrum abhorret ab ea, de qua tam multa diximus, animi magnitudine. Nec divitias igitur, ut de gloria diximus, vel optare, vel habere turpe ducendum est, nec rursus paupertatem fugere vitiosum: nam qualia-

cum-

De Offic.
lib. 1. c. 21.

Polit. 2.

cumque sive bona expetere, quatenus modo bona sunt, sive mala vitare, qua talia sunt, nulla lege prohibemur: divitias autem nemo ignorat bonis fortunae annumerari, paupertatem malis. Ceterum fortunae non ea vis est, ut quemquam possit vel bonum secundo flatu, vel malum efficere, si refluverit: qua ratione ducti Stoici nihil in bonis habebant aut malis praeter virtutes et vitia, quibus homines boni, et vicissim mali censentur, praeposita et rejectanea nuncupantes ea, quae ab Aristotele ceterisque Platonis alumnis corporis vel externa bona et mala nominantur, bonum esse statuentibus, quidquid asciscit natura; malum, quidquid vicissim aspernatur. Illud tamen dubium non est, quin virtus ad officiosa munera fungenda saepe bonis non solum corporis, quod est animi velut instrumentum, sed externis etiam juvetur: fieri enim non potest, inquit Aristoteles, aut non facile fit, ut is agat res praeclaras, cui *Estic. 1.* desunt facultates. Nam liberalitatem exercere vel eodem tacente constat sine divitiis posse neminem, magnificentiam vero multo etiam minus: utraque enim virtus in pecuniis recte collocandis maxime cernitur: sed illa in parvis aut mediocribus, haec in sumtibus magnis intelligitur.

XVI. Transi ad justitiam, quae tamquam lucifer dicitur inter ceteras virtutes elucere: nonne opes illa quasi nervos desiderat? quibus non suppetentibus, ne otium quidem suppetit ad gerendam rempublicam, magistratibus et principibus necessarium, nec vires ad impotentium cupiditates coercendas, ipsosque cum tenuioribus pari jure continendos. Age vero civilem vitam omittamus, quae haud dubie sine opibus non consistit: egone philosophantium quidem contemplantiumque vitae locum relinqui dico, si rem familiarem omnino subtraxeris? Nam ut intellectus in homine sine vita et sensu, quae res nobis sunt altera cum stirpibus, alter cum belluis communes, inesse non potest: sic in magna esuritione et nuditate, vel graviori morbo corporis, animus a pulcherrimarum divinarumque rerum contemplatione ad quaerendas res vitae ac valetudini necessarias sollicitate revocatur.

XVII. LEOP. Tu igitur eorum consilium damnas, qui suis facultatibus, si quas habebant, rejectis, vivunt in otio aliorum liberalitate, tamquam horum vita violenta sit, et contemplationi ac naturae legibus inimica. I nunc et Lutherum lacera maledictis, qui ob hoc ipsum monachorum instituta non probat, quia volunt in-

Ad Epbes. 4. vitissimo Paulo *non laborantes ex alieno vivere.* DEM. Lutherum, Leopolde, jube cum sua inscitia, vel nefaria potius impietate valere, ceteros monachos ex se ipso metientem, ego enim vitam apostolicam omni vivendi rationi praefero: in qua Christum ipsum imitantur, qui opere et sanctitatis exemplo juvantes plurimos, religioni vacant, et optimarum rerum doctrinarumque contemplationi: neque enim refert, ad otium contemplationis ex suo, an ex alieno, necessaria ad vitam suggerantur; quamquam non ex alieno, sed ex sibi debita mercede vivere dicendi sunt, qui eorum *carnalibus*, ut inquit Paulus, aluntur, quos ipsi *spiritualium suorum participes* effecerunt, docendo, admonendo, Deumque peccatis populi succensentem precibus sacrificiisque placando. Non igitur vituperandum, sed summa laude horum institutum dignum esse dico: illud tamen contendo, ne horum quidem vitam sine opibus constare posse suis, vel alienis. Fac enim esse omnes Christianos egenos: quis alimenta esurientibus subministrabit? quis nudos vestiet? aegrotantes curabit? quod si egenis Christianis licet in otio litterarum aut contemplatione alienis opibus vivere, cur non divitibus, suis, honestis artibus sine alterius injuria partis? et cum labore quemadmodum Paulus praecipiebat. *Nam qui furabatur, inquit, jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.*

XVIII. LEOP. Recte, Democrates, mihi quidem videris et ingeniose divitiarum causam perorasse; sed dicat fortasse quispiam, neque ad liberalitatem, nec ad magnificentiam, ceterasque virtutes colendas opus esse divitiis: primum quia natura, cujus legibus ipse tantopere patrocinaris, parvo et parabili contenta est: deinde, quia ratio virtutem efficiens non in opere posita est, sed in animo et voluntate. Si quis enim sic animatus affectusque sit in summa paupertate, ut si divitiae sibi contingant, eis sit ad liberalitatem ac magnificentiam perlibenter usus, hunc credo nemo negabit, liberalem esse atque magnificum, eadem ac in criminibus ratione, quorum aliqua cogitata dumtaxat, civilibus quoque legibus capitali supplicio vindicantur. Nam, quod ait Aristoteles, virtutes operibus indicari, cum voluntates lateant, et injusti quandoque juste agendi voluntatem mentiantur; hoc ad virtutis declarationem pertinet hominumque notitiam, non ad rem aut ejusdem rationem, cujus efficiens voluntas homines fallere potest, Deum non potest,

cor-

De ratione
vivendi monachorum,
et mendicitate.

Rom. 15.

Ad Epbes. 4.

Utrum sola
voluntas sufficiat
ad officia virtutis.

Ethic. 10.

corda humana perscrutantem , et apud quem *gloria* cujusque est suae *conscientiae testimonium* : hominibus enim suademus , Deo autem manifesti sumus , ut ait Paulus . Et Christus : *Quicumque mulierem* ^{1. Tim. 3;} ^{Matth. 5.} *viderit ad concupiscendum , jam moechatus , inquit , est eam in corde suo* : quod de libidine et adulterio dictum ad omnia peccata et contrarias virtutes consensu doctissimorum commodissime transferitur . Nam viduam pauperulam , quae misit aera duo minuta in gazophylacium , plus quam divites omnes misisse idem Christus testatus est , propter majorem videlicet animi ejus liberalitatem . *Si enim voluntas prompta est , ut inquit Paulus , secundum id quod habet ,* ^{1. ad Cor. 2.} *accepta est ; non secundum id , quod non habet .* Quid quod actiones externae per se nec honestae censentur esse , nec turpes , ut internis accedentes ipsas honestiores reddant , aut turpiores . Nam cum ab invitis eduntur , aut per ignorantiam , breviter cum voluntas abest , nec laudi tribuuntur , nec vituperio , et minima sunt insitae virtutis aut vitii documenta . Adde quod , si quando videntur obiri voluntarie , tamen tunc necessitate quadam naturali parent imperio constantis ac certae voluntatis : ut hac quoque ratione nec apud Deum , nec apud homines laudem et gloriam , aut res contrarias mereantur .

XIX. DEM. Non ego , Leopolde , cum divitias a jejuna quorundam , et , si verum fari licet , ambitiosa severitate assero , Croesi , aut Midae thesauros ad vitam ducendam , praesertim privatam , desiderari dico . Nam ut ceteris in rebus , sic in divitiis modus est optimo cuique tenendus : tantumque rei familiaris , auctore philosopho , desiderandum , quantum satis sit ad sumtus et necessarios et liberales , non solum nobis pro cujusque conditione , sed etiam iis , quibus tenemur ex nostris facultatibus impartiri , praesertim domesticis , qui nostrae fidei sunt lege naturae atque divina commissi . *Nam qui suorum , et maxime domesticorum , ut Paulus testatur , curam non habet , is fidem negavit , et est infideli deterior .* Itaque homo civilis , ut docet Aristoteles , et qui se rebus agendis tradidit , ut multis aliis rebus , sic opibus indiget ad res gerendas : et quo majores et clariores , hoc etiam pluribus : honorati enim nobilesque cives pluribus indigent , quam obscuri et ignoti . Nam Reges et Principes sine magnis opibus infirmi sunt , ab hostibusque despiciuntur . Qui vero philosophiae se contemplationique dedunt , hi divitiis parum indigent , quae ipsis potius impedimento sunt ad contemplationem : parvo igitur con-

contenti esse debent, praesertim suo: studia enim litterarum otium in primis requirunt et animi tranquillitatem, quorum utrumque egestas excludit, nisi adsint necessaria ad victum reliquumque cultum, sine quibus negat Aristoteles naturam sufficere ad contemplandum. Est tamen genus quoddam philosophandi, quod non tam in doctrinis versatur, et studio litterarum, quam in commentatione mortis, et cohibitione humanae cupiditatis, superbiae ac pervicaciae: haec enim nisi cunctis rationibus coërceantur, nos ducunt, ut Paulus ait, in interitum et *in laqueum diaboli*: quibus malis ut occurrant, qui ad hunc modum philosophantur, homines egregia in Deum pietate ac religione, per omnem laborem, curam, solitudinem, affligere sibi proposuerunt et quasi domare corpora sua, et affectus omnesque carnis, quae militat adversus spiritum, pravas appetentias refraenare: qui omnes paupertatem in primis suscipiunt et profitentur, sed ita ut ipsorum quidam divitias universi habeant in commune, unde alantur, singuli nihil omnino suum: alii tam publice, quam privatim egeni vivant in diem, stipe ab hominibus religiosis ac liberalibus emendicata: utrique sanctitatem egregie pietatemque colentes, utrique ex parte vitam apostolorum imitantes.

XX. Horum igitur instituto paupertas, aut etiam mendicitas vel accersita convenit, nuditasque, ac omnis vitae difficultas. Hi sunt in primis, de quibus ait Christus: *Beati pauperes, beati qui lugent, beati qui esuriunt*: ad talem quamdam, aut huic non multum ab-similem vitam et Christus et Paulus homines adhortabantur, quos divitias ut abjicerent, commonebant: sed quamquam haec perfectissima proximaque via est, et quasi compendiaria ad vitam aeternam, non tamen sola, nec prorsus necessaria putari debet. Nam *in domo Dei patris mansiones multae sunt*, ad quas, ut Paulus ait, non omnes una, sed alius alia via progreditur: *divisiones enim gratiarum et operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, habentes donationes secundum gratiam, quae data est nobis, differentes*: in quarum donationum commemoratione non praetermisit Paulus liberalitatis opus, quod est fructus divitiarum, cum ait, *Qui tribuit in simplicitate*. Porro Christus cum apostolos mitteret ad praedicandum evangelium, apud optimum quemque urbes ingressos diversa-

ri, ejusque liberalitate, quae sine opibus non praestatur, uti praecipiebat: illud adjiciens: *Qui recipit vos, me recipit: et qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet: et qui recipit justum in nomine justii, mercedem justii accipiet. Et quicumque dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Non igitur pauperibus tantum aditus est ad regnum caelorum, sed iis etiam nihilo minus, qui pauperes et justos suis opibus liberaliter fovent: ut enim illos, sic hos fore in die judicii ad dexteram Dei, pollicitus est Christus, et audituros ab ipso summo iudice: *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: nudus eram, et cooperuistis me: quidquid enim fecistis uni ex istis fratribus minimis, mihi fecistis.* Itaque Paulus Timotheum jubet, ut divitibus hujus saeculi praecipiat, non divitias abjicere (sciebat enim, ut Chrysostomus interpretatur, divitias non esse prohibitas) sed non efferri, *non sperare in incerto divitiarum, bene agere, facile tribuere, et communicare.* Neque enim divitias expavit Paulus, ut inquit Augustinus, sed morbum divitiarum, hoc est, superbiam. Divitiae igitur bonis et Christianis hominibus tantum abest, ut noceant, ut praebeant etiam multas ad virtutem et religionem colendam et exornandam commoditates: sunt enim quasi caput et fons beneficentiae et liberalitatis, qua pauperes sublevantur, et magistri morum ac religionis sacrorumque praefecti aluntur, templa surgunt et exornantur, ea magnificentia quaedam dotata, ut census non modo procurandis faciendisque sacris, et ipsorum ministris alendis sufficiant, sed etiam ad multorum pauperum indigentiam allevandam. Qui census si ab Episcopis quibusdam aliisve sacerdotibus male administrantur, qui non domini, sed quasi quaestores et dispensatores sunt ecclesiasticarum opum, haec culpa morum, ut ante dicebam, est, non divitiarum. Justii enim ac religiosi Episcopi et sacerdotes, quo ditiores, hoc sanctiores sunt, et reipublicae magis utiles, plurimis hominibus, pupillis, et viduis, egenisque ceteris ecclesiastica bona sedulo pro sibi commisso munere impartientes.

XXI. Et profecto, Leopoldo, si aequi esse volumus, nec studiose, ut quidam, sacerdotibus obtrectare, quamquam ipsorum quidam bonis ecclesiasticis abutantur, illud tamen confiteri necesse est,

De sacerdotum opibus, et ipsarum distributione.

eorum bonorum maximam partem a sacerdotibus in usus pauperum distribui: ceteros enim cives etiam divitiis affluentes, timide et cum pudore quisquam sanguine proximorum rogare sustinet, ut aliquid sibi inopia laboranti impartiat de magnis opibus, ad filiam exempli gratia collocandam, aut alias vitae necessitates tolerandas, ne quasi filiis aut nepotibus, quorum est jus hereditarium, injuriam facientes repellantur: a sacerdotibus autem non solum fratres et sorores, sed horum etiam filii ceterique consanguinei tam incunctanter juvari se petunt, ut non precari, sed optimo suo jure postulare videantur. Itaque velis, nolis, dandum est, opportune, importune flagitantibus, et rationem plerumque, si tuam indigentiam excuses, accepti et expensi reposcentibus. Ita fit, ut maxima pars census ad pauperes praesertim consanguineos perveniat, salvo jure caritatis, quae rationem sequitur necessitudinum naturalium.

XXII. Quod vero ajebas, virtutem etiam sine opere constare, propterea quod virtutis ratio, quemadmodum vitiorum, tota in animo et voluntate posita sit, tibi vehementer assentior, si hoc dicis, hactenus quodque crimini verti, aut virtuti tribui, quatenus est voluntarium: aliter enim nullius factum neque vi, neque ignorantia excusaretur. Sed voluntatis est, non solum agenda velle, sed ut fiant, ceteris potentiis imperare, quod plerumque simul fit, atque eodem motu, quem philosophi juniores, donec animo et voluntate continetur, *actum elicitem* appellant. Nam, si voluntatis imperio ceterae potentiae pareant, et munus exsequantur, harum quoque opus ad voluntatem refertur, quasi ad fontem et auctorem, vocaturque *actus voluntatis imperatus*, et uterque uno nomine dicitur *humanus actus*, propterea quod homo, quatenus homo est particepsque rationis, per liberum arbitrium, quod voluntatem consuevimus appellare, utriusque principium existit. Ceterum talis actio non solum habet per se quidquam honestatis vel turpitudinis, sed utraque re vincit etiam electionem. Ut enim velle, sic etiam agere hominis esse finis statuitur, cum finis cujusque rei sit propria ipsius operatio: ut finis equi est currere, pecuarii canis pecus a maleficis animalibus custodire: et quot operationes, tot fines habeantur, quorum, philosopho teste, eo quisque potior est, quo perfectior: est autem perfectior ex duobus is, qui si contingat, alter non desideretur; imperfectior contra, post quem alterum praeterea requirimus. Ut si adsit justitia (utar enim ejusdem

Aristol. I.
Magn. moral.

Ari-

Aristotelis exemplo) alia tamen desideramus ; si felicitas , hac una contenti sumus : quo perspicue intelligitur felicitas justitiae , cuius nomine virtutes omnes continentur , praestare. Cum igitur duae sint propriae hominis actiones et fines citra ultimum , bene velle , et bene agere , et bona voluntate suppetente , actio quoque desideretur , post bonam actionem non item bona voluntas requiratur , quippe quae bona actione continetur , ut in felicitate justitia ; dubitari non debet , quin bene agere , quam bene velle perfectior finis , ac proinde praestantior et honestior habeatur : quae ratio eadem est in peccatis.

XXIII. Age vero , ut rem accuratius perquiramus , si finis cuiusque rei est , quo fertur eadem ac intuetur , nonne actio , quo fungi vult quisque , voluntatis eius proximus erit finis ? Nam verum 6. Metaphys. et falsum , quae spectat intellectus , ut philosophi docent , in mente sunt ; bonum et malum , quae voluntas intuetur , in rebus habetur : finem porro in rebus agendis principem esse , non est philosophi dubitare. Itaque , si verum quaerimus , idcirco voluntas bona est et honesta , quoniam opus ipsum , quod molitur , est bonum et honestum . Huc enim valet , quod tradidit Aristoteles , honesta- Ethic. 10. rum rerum cupiditates laudandas esse , turpium vituperandas , ut dubium non sit , quin actiones voluntati praeferantur . Nam propter quod unumquodque tale est , id magis esse tale , rata sententia est philosophorum. LEOP. Voluntatem igitur bonam esse dicis , Post. 1. quoniam opus , quod editur , est bonum ? DEM. Num miraris , si ut 3. Ethic. ceterarum rerum , sic animi honestatem ex ipsius fine metior , au- Comparatio operis animae interni cum externo. ctore philosopho , qui suo rem quamque fine decerni testatur ? LEOP. Actus externus , si voluntas absit , quae est appetitus cum ratione , nec honestus habetur , nec turpis . Nam idem Aristoteles ne- 3. de anim. gat , ullam esse vel bonam , vel malam actionem sine intelligentia et more , quod pertinet ad electionem . Itaque nec turpia vituperanda esse tradit , nec honesta laudanda , nisi fuerint voluntaria : scilicet quia talia nomine tenus , non etiam re vel turpia , vel honesta esse intelliguntur.

XXIV. DEM. Ego , Leopolde , cum hominem appello , non statuum dico marmoream , aut cadaver , sed corpus anima rationis particeps formatum : sic cum actum externum cum interiore confero , voluntarium actum intelligi volo , non vi expressum , aut ignorantia naturave editum , quo in genere fateor nec turpitudinem inesse,

5. *Ethic.*

nec honestatem . Nemo enim , nisi volens , ut testatur philosophus , vel juste agit , vel injuste : nec est injuste timideve agere , cum uxore aliena concumbere , aut projectis armis terga dare , et similia facere , sed sic se habentem facere , hoc est , scientem et volentem ,

3. *Ethic.*

praeterquam ex accidenti . Est igitur voluntas actionis quasi forma , et in iudicio morum magis spectatur , quam opus : qualis enim quisque moribus est , tales solet facere electiones , et in actiones similes voluntas ejus est proclivis . At opera interdum venditationes sunt , et ficto etiam vultu , non solum verbis ostentantur . Itaque voluntas quo largior est et promptior , eo magis vel sine opere , si facultas abest , cum ab hominibus laudatur , tum Deo grata est , et majore caritate gratiaque suffunditur ; sed par voluntas cum opere sanctior habetur , et majore praemio , nescio an essentiali , ut theologi loquuntur , at certe accidentario remuneratur . Neque vero nova quaestio est , in virtute utra potior habeatur , electio , qua voluntas intelligitur , an actio , sed a Socraticis usque temporibus inter philosophos agitata : quam sic Aristoteles expedivit , ut perfectionem in utroque simul constituerit , hoc est , in actione voluntaria et ab electione profecta . Nam quod ais , posita voluntate certa et constanti , sive , ut nunc loquuntur , efficaci , necessitate naturali , si facultas adsit , actionem existere , levissimum argumentum est : cum eadem propemodum ratione affirmare liceat , ipsum velle non liberum esse , sed necessarium : propterea quod posito voluntatis motu , ipsam velle necesse est ; quidquid enim est , quando est , necesse est esse , ut docent philosophi . Non est igitur ita , sed cum homo voluntate operatur , tam actio externa voluntaria est , quam ipsum velle : voluntarium enim atque liberum esse intelligitur , quidquid a principio libere agente , hoc est , a voluntate proficiscitur ; quod nihilo minus actioni externae convenit , quam electioni , vel

Ethic. 10.

Christi ipsius testimonio , cujus ea verba sunt in evangelio : *De corde exeunt* , inquit , *cogitationes malae , homicidia , adulteria , fornicationes , furta , falsa testimonia , blasphemiae* . Neque vero solum tales actiones liberae sunt et voluntariae , sed si quis habitus ab ipsis fuerit ingeneratus , actiones etiam ab hoc jam natura prodeuntes pro voluntariis et liberis a philosophis habentur propter libertatem voluntatis , unde quasi a fonte ipsorum initia per habitum et priores actiones ducuntur . Nam quorum principium est in ipso , ut tradit

Math. 15.

Aristoteles , haec et agere et non agere in ejusdem est potestate .

3. *Ethic.*

Quam-

XXV. Quamquam igitur virtutum vitiorumque ratio in voluntate sive electione potissimum intelligatur, perfectio tamen in actione voluntaria consistit. Nam si ratione scienterque gubernator nautis, ut explicent vela, dux militibus imperet, ut ineant in hostes pugnam, rudentibus tamen et armis non suppetentibus, aut re alia impediante, neutrius imperio pareatur: constabit quidem officii ratio ducis et gubernatoris, qui quod in ipsis erat, praestiterunt, sed irritus conatus officium inchoatum faciet ac imperfectum. Sic boni consulendum est, si quis beneficia, quae inopia rei familiaris exclusus, opere conferre nequit, praestare sit animo et voluntate paratus, huiusmodi tamen officium nemo dicet esse perfectum: nec enim pauperum indigentia bona cuiusquam voluntate, si res absit, sublevatur, qui finis est liberalitatis. Nefas est autem existimare, in Christiana republica cum cetera sint perfectissima et uberrima, plena gratiae ac libertatis, locum non relinquere quarumdam virtutum perfectioni. Perfectum igitur officium et Deo maxime gratum, auctore Paulo, est, quod a *fide* profectum *per caritatem operatur*, quae caritas non modo Deum spectat, sed etiam proximum. Eodemque modo de criminibus statuendum est, non solum in voluntate peccatum esse, sed in operibus etiam a voluntate profectis plerumque majus, cum praesertim aliqua sint ipso genere mala, ut testatur Aristoteles, et quae nomine ipso turpitudinem praeferunt, ut furtum et adulterium, et in Decalogo non cupiditates tantum, sed prava etiam opera lege divina prohibeantur. Vides, ut divitiae pro cuiusque conditione moderatae partim necessariae sint ad vitam degendam, et aliquas virtutes perfecte colendas, tuendamque societatem hominum et libertatem: partim utiles ad cultum divinum et templorum ornamentum: tantum abest, ut a Christo vel apostolis damnatae fuisse putari debeant, cum divitum avaritiam et inexplebilem habendi cupiditatem magna cum severitate castigarent, et eas docerent minimum apostolicae vitae convenire.

XXVI. ALF. Satis jam mihi superque, Democrates et Leopoldo, de magnitudine animi, ejusque partibus et vitiis contrariis disseruisse, et meo quidem iudicio prudentissime, videmini; sed quamquam vestra disputatione sum equidem vehementer delectatus, cupio tamen audire, exspectoque, Democrates, quid ad ea respondeas, quibus me tamquam scrupulis quibusdam sollicitari, explicarique vel-

le , et initio , et , si meministi , jam saepe sum professus . DEM. Scio quos scrupulos dicas , memoriaque teneo : ego vero de fortitudine et magnanimitate paulo accuratius edisserens nihil aliud egi , quam ut altioribus jactis fundamentis , querelis istis militaribus satisfacerem : ut igitur quaestio commodius explicetur , ne te pigeat , obsecro , saepe , ut ais , testata brevi nunc oratione referre . ALF. Faciam vero perlubens . Miles mihi non videtur posse religioni Christianae simul et officio militari quibusdam in locis satisfacere . DEM. At Joanni Baptistae videbatur , qui rogatus a militibus , quid se facere oporteret , respondit : *Neminem conculcatis , nec calumniam faciatis , et contenti estote vestris stipendiis .* Sed quibus tandem in locis id tibi non posse videtur ? ALF. Primum ubi certamen est de fama ; quia gloriam mundanam appetere criminis est hominibus Christianis , eandem cunctis rationibus quaerere , ad laudem militarem pertinere putatur : deinde in causa injuriarum ; quoniam injurias persequi , et inimicos fortiter ulcisci , quod ab optimo milite exspectatur , alienum est legibus Christianis . Itaque injuria paulo graviore laccessitum in singulare certamen inimicum provocare , optimi et generosi militis esse dicunt ; Christiani et religiosi , negant : eodemque modo provocatum pugnam non detrectare , quod pertinet ad laudem fortitudinis . DEM. Recte tu quidem , Alfonse , paucisque veterem querimoniam explicasti : respondebo igitur ordine , si prius tamen explicueris , quid gloriam mundanam appelles . ALF. Haud equidem eam , qua frui creduntur justi , cum ex hac vita migraverint , eandem enim jam gloriam , jam beatitudinem , tum vitam aeternam a viris religiosis appellari video : sed gloriam mundanam appello , quae homines virtute praestantes nobilitat in hoc mundo , et illustri nomine decorat , quae a nonnullis bona fama , ab aliis honor etiam appellatur , propterea quod sit pars honoris potissima . Nam cum ejus , qui honoratur , excellentiae testimonium honor esse intelligatur , hoc nulla re tam locuples hominibus contingit , quam bonorum consentiente laude , et judicio de praestante virtute , hoc est , gloria , sic enim haec a philosophis definitur . DEM. Rem dicis pulcherrimam , et quam ego non dubitem ceteris omnibus externis bonis anteferre : sed tu quamobrem existimas hujusmodi gloriae appetentiam esse Christianis hominibus interdictam ? ALF. Quoniam video inanem gloriam magno consensu a nostris philosophis damnari . DEM. Quasi vero a Christianis

Lucae 3.

Impedimenta
bellorum mi-
nus juste a
Christianis
suscipiuntur.

Responsio ad
impedim.

nis tantum improbetur inanis gloria, et non ab omni philosophia doctorum omnium prudentiumque judicio rejiciatur: sed tu quam gloriam appellas inanem? ALF. Quam quidam, ut video, viri doctissimi, qui triplici ratione docent inanitatem gloriae deprehendi, Inanis gloria triplex. primum, si non re ac virtute solida, sed *simulatione et inani ostentatione*, et, ut Cicero ait, *ficto non modo sermone, sed etiam vultu* offic. 2. *quaesita sit*: deinde, si a quibus non oportet, petatur: postremo, si referatur alio, quam in Dei laudem, vel aliorum hominum commoditatem. Peti autem affirmant, a quibus non oportet, quae ab hominibus quaeritur, auctore Paulo, qui ait: *Non quaerentes ab hominibus gloriam*, cum sit humanum judicium incertum et fallax. 1. Thes. 2. DEM. Scio quosdam viros alioquin eruditissimos sic de gloria disse-ruisse, quibus cetera quidem assentior, sed profecto, qui hominum etiam optimorum et prudentium judicium rejicit, ejusque tollit certitudinem et auctoritatem, is ego non video, quem locum prudentiae, quem humanis virtutibus relinquat. Nam quem alium prudentem dicere solemus, vel intelligere, nisi eum, qui recte potest de pe-tendis rebus aut vicissim fugiendis judicare? ut indicat definitio mo- Ethic. 2. ralis virtutis, quae habitus electivus esse definitur, positus in me-diocritate quo ad nos, quemadmodum prudens definirer, hoc est, statueret et judicaret.

XXVII. Age vero si bonorum hominum et prudentium incer-tum est judicium, cur ab his recte, non a malis et stultis honesta a turpibus rebus dijudicari magno consensu philosophi tradiderunt? Non est igitur ita, neque inanitas gloriae satis arguitur, eo quod ab hominibus petatur, modo boni sint et prudentes, quorum judi-cio probari volumus. Alioquin Paulus praefatus, *Qui justitiam eo-* Rom. 14. *lit, hunc Deo placere*, perperam addidisset, *et probatum esse ho-minibus*; in quam sententiam illud etiam dictum est ab eodem: Ad Rom. 12. *Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram homi-nibus*. Quibus verbis declaratur, quae Dei judicio bona malaque judicantur, eadem a bonis et prudentibus hominibus recte magna ex parte probari, vicissimque damnari. Nam quod scriptum est in Psal. 52. *Qui hominibus placent, confusi sunt, quia dominus spre-vit eos*: et quod Paulus ait: *Si adhuc hominibus placerem, Christi* Galat. 1 *servus non essem*: de malis hominibus intelligendum est, ut cum idem dicit: *Nonne homines estis?* non de bonis, quorum est haud 1. Cor. 3. dubie rectum judicium. Gloria igitur ab hominibus non semper ad-
um-

2. *Tus. quæst.*
C. 2.

Lib. 1. *Offic.*

De civit. Dei
lib. 5. cap. 13.

De gloria
mundana, et
honesto ejus
appetitu.

Ethic. 10.

1. *Magn. mo-*
ral.

Ethic. 4.

umbrata et inanis est : sed expressa interdum ab ipsis et solida maximis et spectatis viris contingit : quae ab Ambrosio clara cum laude notitia esse decernitur : sed expressius et magnificentius a Cicero definitur : *Consentiens laus bonorum : incorrupta vox bene judicantium de eccellente virtute*. Quid tu , Leopolde , censes ? an tibi videtur talis quoque gloria inanis esse ? LEOP. Minime vero , sed solida et vera . Itaque hac quoque in parte tibi prorsus assentior : tu tamen vide , ne in hujus etiam gloriae , qualiscumque sit , appetitu peccatum insit . Nam idem Cicero , quem de virtutibus et officiis optime disputasse constat , cavendam esse ait vel in primis gloriae cupiditatem , et Augustinus noster , sanius videre dicit eum , qui amorem laudis vitium esse recognoscit .

XXVIII. DEM. Nihil est in rebus humanis , Leopolde , tam honestum et bonum , cui non plurimum gratiae , vel totum potius , bonitatisque decedat , si quis decore ipsius ad rem turpem abutatur . Quid enim honestius , quam pecunias egentibus liberaliter impartiri ? at hoc ipsum turpe redditur , et liberalitatis nomen amittit , si quis ea virtutis specie ad tyrannidem spectans , patriae libertati insidietur , aliudve turpe moliatur . Quod si hoc potest in virtutem cadere , ut crimen fiat abutendo : quanto magis in gloriam , quae bonis externis annumeratur ? cujus appetitum bonum sponte sua honestumque esse , uno mihi versiculo confici posse videtur in hunc modum : cujusque rei bonae appetitus bonus est , ut testatur Aristoteles ; gloria autem est bonum ; gloriam igitur appetere bonum est . Hujusmodi enim facultates (nam sic a philosophis et corporis et externa bona vocantur) propter virtutem rem optimam bona nominari non ignoramus : scilicet ut medicamentum et cibus sani dicuntur , qui possunt ad sanitatem efficiendam accommodari . Quamquam enim talibus rebus probi homines bene , vitiosi possint male uti , unde facultates , ut dixi , nuncupantur , tamen a proborum usu ob virtutis praerogativam , ut docet Aristoteles , merito bonorum vocabulum eadem acceperunt : ut dubitari non debeat , quin a bonis viris sine ullo crimine possint non solum expeti , sed etiam diligenter comparari : gloriam autem , qui negat talibus bonis esse annumerandam , quid hic relinquat in bonis externis , non intelligo : cum horum maximum esse honorem , qui gloriae comes est atque cognatus , non Aristoteles tantum in libris *Morum* , sed Plato etiam in opere de *Republica* , testis sit locupletissimus . Salomon quoque in

Pro-

Proverbiis : *Melius est* , inquit , *nomen bonum , quam divitiae mul-* Cap. 22.
tae : et alio in loco : *Melius est nomen bonum , quam unguenta* Eccles. 7.
pretiosa . Non igitur appetitus gloriae a viris prudentibus atque Cap. 41.
 religiosis damnatur , sapientis enim praeceptum est : *Curam habe de*
bono nomine : et Paulus nos in eandem curam adhortatur , dum ait :
Providentes bona non solum coram Deo , sed etiam coram homini- Ad Rom. 12.
bus : qui et alio in loco mortem sibi potioem esse profitetur , 1. Cor. 9.
 quam ut ab aliquo gloria sua evacuetur : et ad Timotheum scri- 1. ad Tim. 3.
 bens : *Oportet* , ait , *Episcopum bonum habere testimonium ab iis* ,
qui foris sunt : quod maxime gloriam attingit : sed appetitus glo-
 riae praeposterus , aut pravus merito in vitiis , et quidem maxi-
 mis habetur : hunc Augustinus , hunc Cicero damnat , et libertatem
 auferre dicit , hunc omnes boni et sapientes detestantur . Est autem
 pravus gloriae appetitus , cum is non ad Deum summumque bonum
 refertur , sed ad explendas turpes aut leves appetentias , ut ad in-
 justa imperia et potestates , vel quod est leviculorum hominum , ad
 inanem jactantiam aut quaestum , quod hypocritae faciunt , quos Matth. 6.
 taxat Christus in evangelio tuba vocantes ad eleemosynam , et in
 platearum angulis et synagogis orantes , ut videantur et laudentur
 ab hominibus : tales enim suam , ut Christus testatur , mercedem
 tulerunt , utique laudem imperitae multitudinis : a Deo autem , et
 bonis ac prudentibus viris neque praemium , neque gloriam , sed
 poenam potius et vituperium . Praeposterus appetitus est , qui vir-
 tuti gloriam , quae comes illius esse debet , anteponit . Nam utrum-
 que vitium cupiditatis obscurat splendorem gloriae , et soliditatem
 exhaurit , inanemque reddit .

XXIX. Si de recto igitur gloriae honestoque appetitu sollicitus es , primum hic non est magis contra religionem , quam valetudi-
 nis , quam scientiae , quam divitiarum moderata cupiditas : deinde
 gloriam ratione petere , non est proprium boni nobilisque militis ,
 sed communis ei cum omnibus probis , honestis ac liberaliter in-
 stitutis hominibus , sive quis in pace republica administranda justi-
 tiam colat , seu vitam privatam cum egregia virtute et bonorum
 approbatione degat . Itaque Augustinus , cujus tu mihi testimoni- August. in
 um objiciebas , amorem laudis peccatum esse statuentis , idem cru- serm. de vita
 delem esse dicit , si quis recte facti conscientia fretus famam suam et moribus cle-
 ricorum.
 contemnat : id est , pro nihilo ducat quid homines de se vel lo-
 quantur vel sentiant : ut intelligatur , ab ipso non omnis laudis ap-
 pe-

petitus damnari, sed praeposterus, vel a veritate dissentiens. Quid est enim gloriam ratione petere, nisi virtutem maxime colere? quod bonis omnibus est propositum. Nam qui vult excellentem suam virtutem cognitam esse, et bonorum ac prudentium hominum iudicio probari, et ob eam honorari, quod est recte gloriam appetere, non is virtutem praepostere colit propter gloriam aut honorem, ut falso quidam existimant, sed gloriam et honorem amat propter virtutem, quemadmodum Aristoteles de felicitate disserens interpretatur, quod est ad Deum appetitum gloriae referre. Deum enim colit, qui virtuti dat operam. Itaque Socrates hanc viam proximam ad gloriam et quasi compendiarium dicebat esse: si quis id ageret, ut qualis haberi vellet, talis esset: sin alium dicis appetitum gloriae a via virtutis abhorrentem, facile tibi assentior, eum esse Christianis hominibus interdictum: sed qui talem putat generosis bonisque militibus convenire, vehementer errat, nimirum si quid nobis superiore disputatione confectum est, ac bonum et generosum militem intelligere oportet, fortem et magnanimum. Nam qui legitimum etiam honorem, et suis virtutibus debitam gloriam non magni facit, quod magnanimi proprium esse docuimus: is quomodo potest accersitam et inanem gloriam ex aliorum errore per mendacium aut fictionem, res itidem magnanimitati inimicas affectare?

Responsio
ad secundum
impedimen-
tum.

Deut. 32.
Matth. 5.
Externa bo-
na cur no-
minentur bo-
na.

Lucae 13.

Ad Rom. 12.

XXX. Nunc venio ad eam partem quaerelae militaris, in qua se plurimum quidam et nimis ambitiose jactant, inferius esse dictantes generosi militis dignitate, acceptas injurias graviores non pertinacissime persequi, aut ab inimicis poenas communibus legibus, et non armis potius exigere, praesertim certamine singulari, et hanc esse maximam causam, cur non licet bonum militem esse, et eundem bonum Christianum, propter religionis praeceptum de injuriis condonandis: scriptum est enim: *Mihi vindictam, et ego retribuam*: et Christi verba illa sunt ex evangelio: *Ego dico vobis, diligite inimicos vestros, bene facite iis, qui oderunt vos*. Nec vero solum verbis hoc praeceptum dedit Christus, sed exemplo etiam confirmavit, pro eis, a quibus morti tradebatur, patrem deprecatus. Et Paulus: *Benedicite, inquit, persequentibus vos, benedicite, et nolite maledicere*: hoc enim negant generosum militem decere: nonne, Alfonse, haec summa est alterius partis militaris querelae? ALF. Maxime. DEM. Cur autem decere negant,

no-

nobilem militem injurias condonare? ALF. Nimirum quoniam id militari virtuti contrarium esse putatur, et laudi inimicum, nam hoc quoque, ut video, ad gloriam referri solet. DEM. Quid ita? nonne militaris virtus fortitudinis et magnanimitatis ratione definitur? ALF. Certe, si recte vos ante, ut mihi quidem videmini, de militis virtute statuistis. DEM. At magnanimi proprium esse docuimus, facile, si quid in se commissum fuerit, remittere, et ex omnibus minime malorum meminisse: id igitur praestare non est contra militis officium. ALF. Argutiae sunt istae philosophorum, quae dissentientibus silentium fortassis imponere valeant, persuadere certe nihil possint contra receptam fortium hominum ac inveteratam opinionem. DEM. An potest imperitorum hominum existimatio, ut nebulam quamdam effundere veritati, sic ejus vim tollere, splendorem penitus extinguere? ALF. Non audeo id quidem dicere, sed cum agitur de gloria, plurimum valet hominum opinio. Tolle hominum existimationem: quomodo poterit gloria, de qua quaeritur, contingere? quae per te quoque in judicio vocibusque hominum posita est. DEM. De stabili et solida gloria disputamus, non de fluxa et inani, illius autem fundamentum res solida est, praestansque virtus, qua sublata, siquid secus homines existiment, error id appellari debet, non opinio. Tunc igitur gloria recte nuncupabitur, cum expressa excellensque virtus judicio et voce bonorum et prudentium virorum approbabitur, qui de virtute judicantes rem ipsam spectant, non quid vani et imperiti homines loquantur. Et alioquin magnanimi est, rem spectare ac veritatem colere, conscientia recte facti contentum, rumores populares vanos quidem pro nihilo ducere, veros et laudes non magni facere: *Mibi enim* (dicebat magnanimus Paulus) *pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die.* Condonare igitur injurias, ut est, sic esse magnanimi opus, boni et sapientes existimant. Itaque harum condonatio nihil obstat, quo minus liceat et bonum militem esse, et religiosum Christianum.

XXXI. ALF. Cur igitur, obsecro, tantopere invaluit ista inter milites opinio, quorum multi et boni viri et prudentes habentur, ut timori detur ac ignaviae, si quis injurias aequo animo ferat, impunitasque relinquat? quoniam tam inveteratam tamque insitam militibus opinionem penitus vanam esse dicere nihil habet probabilitatis. DEM. Magna videlicet ratione: qui enim a multis crimi-

De injuriis
pulsandis et
remittendis.

1. Cor. 4e

Cur qui injurias non ulciscuntur, habentur ignavi?

nibus et plerumque maximis, quae sine difficultate perpetrantur, nec respectu religionis, nec amore virtutis cohibetur, hic cur officio aut religione credatur a periculosis et difficilibus peccatis abstinere? et non timore potius et ignavia? Injurias igitur persequi tum religioni Christianae, tum etiam virtuti, quae magnanimitas dicitur, contrarium est; sed stulta vulgi militaris opinione factum est, ut id vulgo putetur ad laudem militarem pertinere, bonis et prudentibus longe aliter judicantibus. Sed cum adulterari, hominem innocentem per occasionem occidere, spoliare tenuiores, et cetera id genus flagitia perspicue sint contra virtutem et religionem, in eaque cernantur plerique milites ferri praecipites, nullo nec virtutis freno, nec religionis retardati: cur talium quisquam virtuti ac pietati servire putetur, cum laccessitus fert injurias dissimulanter? et non potius ultionis difficultatibus et ignavia deterreri? Fingamus enim animo bonum aliquem perfectumque militem (nam talem invenire rarissimum est) qui plane fortis sit et re vera magnanimus, nullo se scelere contaminantem, sed studiose servientem virtuti et religioni, solidamque gloriam consecrantem, qui praebuerit magna et clara ut militaris, sic aliarum virtutum documenta, et hunc faciamus injuriam forte acceptam male de se merito virtutis ac pietatis causa remittere: quis tot tantarumque virtutum memor, hujus optime magnoque animo factum in diversam partem interpretabitur? ALF. Multi fortasse milites. DEM. Credo, quia multi stulti sunt, et rectum judicium pravis et moribus et opinionibus corrumpere: nemo tamen bonus, nemo prudens recte factum non probabit: quamquam magnanimus, ut saepe diximus, dum ipse recte faciat, quid homines loquantur, parum laborat, stultorum judicium penitus contemnens. ALF. Isto igitur modo quid obstat, quo minus miles aliquis, cujus ante acta vita latrociniis, adulteriis homicidiisque fuerit foedata, possit ad breve recepta sanitate poenitentiaeque ductus injuriam causa pietatis inimico condonare, et sic officio fungi boni militis et Christiani? DEM. Nihil omnino prohibet. Nam et mendacissimum quemque licet aliquando verum dicere: sed quemadmodum huic vera dicenti ab iis non creditur, quibus reliqua ipsius vanitas est nota: sic illius animum nemo probat, ne in recte quidem facto, qui pravam illius mentem fuerit ceteris in rebus expertus.

XXXII. Si verum ergo quaerimus, Alfonse, militaris ista que-
re-

rela plus habet ambitionis, quam gravitatis et justitiae: ut illa altera quorundam huic non prorsus absimilis querimonia plus impietatis, quam intelligentiae, qui religionem Christianam in eo sustinent vanissime damnare, quod homines reddat ignavos et ad imperandum ineptos, et quo planius suam ignorantiam cum impietate prodant, haud alio nomine religionis iniquitatem accusant, quam quod dolis, mendaciis, insidiis sceleribusque vafrorum et improborum hominum ad tyrannidem tuendam non suffragetur: quo quid potest esse dictu vel indoctius, vel sceleratius? justis enim ac legitimi imperii diuturnitatis optimus custos est subditorum populorum amor, hic autem non dolis, nec pravis artibus, sed pietate in Deum, justitia, humanitate, magnitudine animi, ac, ut semel dicam, omnium virtutum opere multo magis, quam, ut istis placet, opinione simulationeque alitur: vana siquidem existimatio celeriter excidit, ac in diversum mutata pro benevolentia odium affert certissimam tyrannorum perniciem. Caput igitur harum querimonia- rum est ignorantia: huc enim summorum philosophorum adhortationes spectant, hoc omnes bene institutarum civitatum leges petunt, ut ex virtute sine alterius injuria vivatur, et haec summa est praeceptorum Christianae pietatis, nec aliter Paulus vim illius oraculi interpretatur: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*: quod isti non intelligentes philosophorum leges civilesque probant, religionis sanctitati, qua nihil potest aequius excogitari, succensent. Sed redeo ad militarem jactationem, quae quidem tolerabilior videatur in iis militibus, si qui, excepta causa laudis et injuriarum, ceteris in rebus egregie pietatem Christianam colunt, ac religiose praeceptis ejus obtemperant: at eorum vanitatem et arrogantiam quis ferat? qui cum nullam non partem religionis violent, et hac contempta, omnibus se quotidie sceleribus obstringant, sustinent tamen propter id quod rarissime fortibus quidem viris accidit, severitatem religionis in eo accusare, quod sibi per eam fortiter agere non liceat, et simul officio boni militis et Christiani satisfacere: cum ab utroque toto, ut ajunt, caelo, ceteris vitae partibus abhorreant. Itaque videre licet, milites quosdam multis alioquin criminibus infames, in ulciscendis injuriis, aut aemulationis gratia praeposteram laudem cum suo magno periculo per summam inconstantiam affectare, inimicos interdum aut aemulos ad certamen singulare provocantes, ubi saepe, volente Deo, meritas luunt suorum flagitiorum poenas.

Error putantium Christianam religionem obesse imperiis ad diuturnitatem.

Ad Rom. 13.

XXXIII. ALF. At enim scimus viros multos illustres et probos, ut probos solemus appellare, qui minimis vitiis implicantur, haec enim non sunt ad vivum resecanda, *nam vitiis nemo sine nascitur*, ut ait Horatius, aliquos igitur tales jam accepimus et vidimus, non dico injuriae oblitterandae gratia, sed solo laudis amore praeter istam philosophorum normam maxima pericula, et quae poterant ab ipsis sine crimine aut nota praeteriri, suscepisse. Ut enim taceam Atheniensium, Lacedaemoniorum Romanorumque vetera exempla, quae sunt scriptis disertorum hominum Graece et Latine celebrata, memorare possem Hispanorum complures hujus rei locupletissimos testes memoriae recentioris, in primisque illustrium familiarum viros Emanuel Leonem, et Suerum Quignonium, quorum, ut accepimus, Emanuel patrum, vel nostra potius memoria in Africam trajecit ad quaerendas laudis occasiones, ac de more indicto bello, per universam Mauritaniam fortissimum quemque ad singulare certamen provocavit: quae fama et aemulatio cum ex tota paene Africa multos fortissimos viros in locum pugnae destinatum evocasset, septem devictis et obtruncatis (ceteros enim periculi mortisque certitudo a pugna deterruit) in Hispaniam cum summa laude occisorum capita, quae nos pueri spectavimus Hispali, in triumphum ducens remeavit. Suerus autem Quignonius eadem cupiditate ingens et animi et corporis robur ostentandi, avorum memoria ineunte anno, quo erat Compostellae Jubileus de more celebrandus, qua via Compostellam est peregrinis exterarum nationum, quos religio solet frequentes excire, pontem Urbici amnis ad Asturiam custodire statuit, hac lege viatoribus proposita, ut quisquis vellet transire pontem, vel se quasi victum et virtute inferiorem dato munusculo profiteretur, puta calcari, seu chirotheca: vel si hoc alienum duceret sua gloria et dignitate, non aliter, quam victo custode transiturus, singulari se pedestri, seu mallet equestri certamini compararet, ad quod ille arma generis omnis, et equos utriusque paratos habebat: quo bello publice per nobilissimas Galliae, Germaniae Britanniaeque civitates indicto, multi fortissimi viri confluxere, quorum nemo pontem transire tentavit, quem non Suerus aut devicerit (quibusdam etiam interemtis) aut deditioem facere ex legis praescripto coegerit.

Emanuelis Leonis, et Sueri Quignonii celebrata facinora.

XXXIV. DEM. Tales quosdam ex illustribus viris exstitisse, qui ad egregias corporis animique vires ostentandas, affectata populari laude, qua-

quasi tempestatem in tranquillo , sic pericula in pace quaerent , nemo dubitat : quod scio multis praeterea Hispanis ex mihi notis accidisse , veluti Jo. Urbinae , Didaco Garsiae , ducibus spectatae virtutis et magni nominis , qui non semel , sed saepius causis non tam necessariis , quam ambitiosis inimicos aut aemulos ad certamen singulare provocarunt , et vicisse gloriosum putaverunt . Sed ut ipse dicebas , nemo vivit sine crimine , nemoque tam constans est in virtute , ut non interdum ab ipsa dilabatur : et ut alii sunt ad alia , sic fateor magnos animos , cum a recta via discesserint , in haec duo vitia procliviores esse , ut laudem affectent immoderate , a fortitudine in audaciam dilapsi , sintque injuriarum plus quam oportet , impatientes : quae vitia quamquam minus vituperantur , quam ea quibus ignavi solent implicari , vitia tamen sunt , nec animi magnitudini convenientia , ut bonum vinum acescit potius , quam vapescat , utrovis tamen vitio gratiam et bonitatem amittit : et bonus ensis impactus comminuitur magis , quam hebetetur , utrumque tamen est detrimentum .

XXXV. Quod vero pertinet ad singulare certamen , quoniam in frequenti corona , et quasi theatro decernere pulcherrimum hoc tempore plerisque , et magnorum virorum opus esse videtur , nollem quemquam ignorare , hanc consuetudinem commilitonum inter se pugna singulari decernendi plurimum abesse a veteri tum Graecorum , tum Romanorum militari disciplina , apud quos , qui in tale certamen descendissent , infamia notabantur : id enim munus servorum erat et vilissimorum hominum , qui sanguinem venalem habebant , gladiatores nuncupati : nam horum paria in theatris spectandi gratia , et justis exsequiarum magnorum virorum edebantur : quamvis haec ipsa spectacula optimi ac prudentissimi principis Constantini lege , ut crudelia et inhumana , sublata sunt . Itaque Hispanos tuos miror , gentem non modo bellacem , sed etiam humanam et gravem , hunc apud eos morem inveterasse , longe videlicet ex veteri memoria repetitum , ut non solum ingenui homines , sed clari et illustres saepe aemulationes et controversias , quas disceptando vel finire non potuissent , vel nolissent , armis et singulari certamine decernerent . Quam operam gratuitam Africano Scipioni patris patruisque mortis causa multi ad novam Carthaginem praestitisse memorantur , quidam a regulis missi ad specimen insitae genti virtutis ostendendum , alii aemulatione ducti , Corbis autem et

De singulari certamine , et quibus olim conveniebat , et quibus erat infame.

Vetus Hispanorum consuetudo singulariter depugnandi.

Or-

Orsua patruales fratres, viri illustres, de principatu Ibis civitatis ambigentes. Nam cum verbis disceptare Scipio vellet, ac sedare iras, negaverunt ambo, alium se Deorum hominumve, quam Martem judicem habituros. Itaque ab Hispanis ad Italos et Graecos haec pugnandi consuetudo videri poterat post labefactatum imperium reipublicae Romanae permanasse, nisi Carolus Pipini filius Francorum Rex, et idem Romanorum Imperator, lege Longobarda nuncupata, et item Otho Imperator, ac Rex Italiae tam longo post Scipionem tempore sanxissent, ut quaedam causae hoc genere pugnae testibus non suppetentibus dijudicarentur. Quibus tamen legibus antiquatis jure pontificio, tamquam immanibus et juri divino contrariis, consuetudo omni philosophia et recta ratione damnata perseverat inter milites praesertim Italos, Hispanos et Graecos, aemulationis vel injuriarum causa decernendi: quae rationis et humanitatis minimum, ambitiosae feritatis plurimum habet. Inter Gallos enim, Pannonios, Britannos, Germanos ceterasque Septemtrioni adjacentes nationes, rarissimum est talia certamina spectare, quamquam sint alioquin gentes ferocissimae, et facile mortem contemnentes, scilicet quoniam his natura inimicitiarum irarumque modum imponit. Nos, qui ceteris mortalibus humaniores esse gloriamur, easdem saepe pravis opinionibus alimus, a levitate, si verum quaerimus, ambitioneque profectis. Saepe namque sumus ad nostras contumelias ingeniosi.

XXXVI. Quam perversitatem damnans Gonsalus ille Magnus, quem ego parem summis cujusque memoriae viris semper existimavi, dicere solebat, stamen honoris generoso militi crassius esse nendum: docens videlicet paulo duriuscula translatione, si quid in nos dictum fuerit, aut factum paulo liberius vel contumeliosius, id esse non amare querimonia ingeniosa, sed crassa, ut dicitur, Minerva, humane, et quantum res patitur, dissimulanter interpretandum: ne levibus ex causis temere ad capitalia dissidia, et talia certamina progrediamur: quae facile, nec sine principum magna culpa his temporibus, in Italia praesertim, permittuntur, praeter veterem, ut dixi, Graecorum et Romanorum disciplinam militarem: per quam olim provocare licebat ex hostibus aliquem ad singularem pugnam, et utroque exercitu spectante superare, pulcherrimum gloriosumque habebatur. Sic in bello Trojano Paris pugnavit cum Menelao, Hector cum Aiace, in Thebano Eteocles cum

Po-

Polynice : sic ex Romanis , ne singulos referam , Manlius cum Gallo , a quo devicto propter torquem eidem detractum , Torquati cognomen tulit ; et ante hunc eodem fere modo tres Horatii cum tribus Curiatiis de summa rerum , publica auctoritate dimicarunt . Quos imitati nostra memoria undecim Hispani , permittente Gonsalo Magno , cum totidem Gallis de gloria dumtaxat , exercitibus spectantibus , equestri pugna decertarunt , dubiaque victoria interventu noctis , cum majore tamen Gallorum detrimento discessere . Eodemque genere pugnae paulo post tredecim Itali ex eodem exercitu parem quoque Gallorum numerum devicere . Nec vero solum militibus tunc illud fuit concessum , sed ineunte bello dux ipse Gonsalus , dum se Bariletæ cum Hispanorum parva manu contineret , Gallorum ducem foederis percussi violatorem dirimendarum controversiarum gratia ad singulare certamen provocavit . Nec mirum est , Gallum pugnam detrectasse , qui datas acceptasque in regni Neapolitani divisione leges , fretus suorum multitudine contemserat . Constat igitur tales cum hostibus pugnas , ut his temporibus , sic olim inter claros etiam viros non modo per leges concessas fuisse , sed etiam usitatas : commilitones autem inter se , ut nunc fit , gladiatorum more dimicasse , nullos antiquitus video neque consuetudine illarum , quas dixi , gentium , neque legibus fuisse permissos . ALF. Alia est gladiatorum abjectissimorum hominum causa , qui vel emti pretio , vel mercede conducti in ludis theatralibus dimicabant : alia honestorum et fortium virorum , qui laudis studio , aut dirimendae controversiae causa , inspectante exercitu , aut in corona militari depugnant . DEM. Longe quidem alia , sed utraque in milite non modo contra religionem Christianam , sed etiam praeter veterem militarem disciplinam .

XXXVII. ALF. Numquamne igitur licebit Christiano militi singulari pugna decernere ? DEM. Licebit , quoties multis fuerit simul pugnare permissum . Quibus enim turmatim legionatimve dimicare per Christianas leges permittitur , hos quid prohibet pro eadem causa , et cum eodem hoste configere singulariter ? An minus licuisse arbitremur , Davidi Philisthaeum Goliathum pugna singulari prosternere , quam si hoc idem conserto multorum praelio peregisset ? Nam cum hoste legitimo utcumque in bello depugnare , non est tentare Deum , quod lege divina vetatur , sed officio fungi boni militis : nec hostem tollere , est homicidium patrare , naturae quoque le-

Exempla vetera et recentiora illustrium virorum , qui singulari certamine depugnarunt.

Quando licet Christianis singulari pugna decertare.

I. Reg. 17.

lege prohibitum, quod fit, cum innocens homo et indemnatus injussu principis, aut magistratus occiditur, sed victoriam quaerere hostium numero diminuto: commilitonum inter se, aut civium dissidentium longe alia ratio est. Turpissimum est enim belli socios, quos oportet ope mutua causam communem defendere, stulta, ut saepe fit, ac perniciose ambitione inter se pugnare, aut velle suas privatas controversias ferro potius dirimi, velut sortibus impiis, quam communibus legibus dijudicari.

XXXVIII. ALF. Quid si non detur alia facultas dijudicandi, ut posset usu venire? DEM. Quo tandem id pacto? ALF. Faciamus aliquem audacia furentem hominem falso detulisse ad Imperatorem, me cogitatis insidiis laesisse majestatem, se uno frustra magnis sollicitationibus in sceleris societatem adscito, qui me facinus inficiantem, armis se, cum aliter non detur, profiteatur adacturum, Imperatore credulo institutum ejus pertinaciter approbante, ut mihi armis crimen intentum repellere sit necesse, vel certamine detrectato, causa cadere cum certo periculo non solum infamiae, sed necis etiam aut exsilii, adde etiam bonorum publicationem. Hoc igitur si mihi forte accidat, quod omen avertat Deus immortalis, ne tunc quidem mihi liceat per Christianae religionis severitatem pro meis fortunis, pro mea fama, pro mea salute depugnare? DEM. Tot rebus congruentibus, Alfonse, si quis miles certamen recusaret, hunc ego non fortiter prudenterve agere, nec religiose crederem, sed ignave et stulte se suaque prodere judicarem. Nec enim tale certamen suscipere esset turpiter agere, quemadmodum quidam existimant, ut honestum aliquid contingat, quod facere, Paulo auctore, vetamur; sed arctissimis angustiis sine sua culpa interclusum magnam et intolerabilem injuriam inferenti, ea ratione, qua sola datur, obsistere: quod est honestissimum jure naturae, magno tamen scelere provocantis, et singulari principis injustitia. Sed quid attinet huc afferre, quae cogitatione finguntur, nec multis saeculis usu veniunt, ubi quaeritur de iis, quae quotidie patrantur, et legibus tum pontificiis, tum etiam divinis prohibentur? Hoc igitur dico, non licere Christiano cuiquam pugna singulari, nisi cum hoste legitimo decernere, si aliter detur, pacem sine maximis incommodis, ac impendente gravi injuria retinere, vel se legibus tueri, suamque dignitatem; numquam tamen, ut eventu pugnae anceps controversia velut Marte iudice dirimatur. Non est enim committendum, ut tentare
Deum,

Deum, ejusque justitiam experiri velle videamur. At si gravissima injuria intolerabiliaque damna impendeant, ceteris nobis legum Principisque subsidiis ademptis, qualem causam fingere me paulo ante jubebas, haud equidem verear, Deum nobis iratum fore, si ultima praesidia petemus a lege naturae, quae nulli umquam interdixit vim vi repellere, aut injurias quam honestissime posset, vel necessaria ratione propulsare.

XXXIX. ALF. Aequissima vero sententia, et cui nemo non videatur etiam atque etiam assensurus. Sed, obsecro te, Democrates, quando nos huc sermo deduxit, ne graveris illam huic finitimam quaestionem nobis expedire, de qua nuper, me audiente, magna fuit inter egregios milites altercatio propter recentem memoriam pertinacissimi certaminis duorum robustissimorum meae gentis militum, Spinosa et Gusmani, quibusdam in caelum efferentibus laude, aliis contra vituperantibus Gusmani consilium, qui prostratus, ac omni spe victoriae dejectus pernevari maluit, quam facienda deditio se victum confiteri: cui simile quiddam contigerat Sancticrucio, qui Ferrariae in nobili ac frequenti corona victus est ab Azevedo. Quid igitur ipse statuas, scire velim, si commisso certamine talibus ex causis suscepto, generosus miles amisso telo, vel quacumque ratione, tam miserabiliter laboret, ut nulla supersit amplius spes neque victoriae omnino, neque vitae, nisi cedat: utrum huic honestius putes, mortem oppetere invicto animo, an facere deditioem, si qua ex parte, si quave ratione sibi valeat in extremis malis consulere. Nam si mori honestius est ac fortius, ut fert multorum militum opinio, hic erit alius locus, in quo ratio militaris videri possit cum disciplina Christiana dissentire. Illud quoque a te perlibenter discerem, facta deditioem ab eo, qui turpem causam fovebat, quique letaliter confossus paulo post efflavit animam, quale Dei iudicium fore de hoc licebit sperare, si rite confessus fuerit peccata sua; vel si hoc non detur, saltem poenitenti animo Dei misericordiam imploravit: cum illud constet, sic peremtis hominibus ecclesiasticam sepulturam jure pontificio negari.

Sublata per inimicum in certamine singulari pugnandi facultate, utrum fortius sit, deditioem facere victum; an mortem perferre.

XL. DEM. Dicam equidem quod sentio, nec me rigida quorundam ambitiosaque oratio (neque enim quid sibi velit ignoramus) obstabit, quo minus explicem libere, quae tum a prudentissimis, eisdemque fortissimis viris didici, tum certa ratione sum edo-

ctus. Sic igitur censeo , quod attinet ad priorem quaestionem , fortem militem , si quando acciderit , ut in tale certamen descendat , hoc animo accedere oportere , nihil ut minus cogitet , quam de facienda deditioe , sed sibi statuatur vel vincendum esse , vel moriendum . Sic enim fiet , ut periculi mortisque securus strenue acriterque urgeat inimicum , nec quidquam reliqui faciat ad egregiam virtutem . Ergo commisso certamine , qui hostem viriliter obtruncat , vel cogit ad deditioem , hunc esse suo jure in strenuis et spectatis militibus habendum dico : ac vicissim in timidis et ignavis , qui non tam virtute hostis , quam sua ignavia vincitur , facitve deditioem , antequam spes victoriae , et quoquo modo repugnandi facultas fuerit omnino sublata . Qui vero praesenti animo cuncta praestiterit , quae a forti milite desiderantur , majore tamen hostis aut robore , aut armorum peritia , aut fortuna denique succubuerit , ne hunc quidem sua quadam laude fraudandum puto : qui quod in ipso erat , praestiterit invicto animo : quae una et magna ratio est virtutis colendae . Quod si victus , utcumque superetur , effugere non potest quamdam in vulgus infamiam , tamen certum habeo majoris animi esse , non solum prudentiae , in tantis rerum angustiis deditioem facere , quam mortem jam voluntariam nihil proficientem oppetere . Cujus rei dubitatio non solum indigna est homine Christiano , sed abhorret etiam ab humanitate , et ipsa , de qua quaeritur , fortitudine . Quid est enim talibus in certaminibus deditioem facere , nisi victum se ab hoste confiteri ? loquor enim de his pugnis ambitiosis , quae injuriarum causa , vel hac praetenta , de gloria et aemulationis gratia , ut nunc fere assolet , suscipiuntur . Quod igitur non in tenebris aut solitudine , sed in media luce et populo vel exercitu tamquam in theatro spectante gestum est , id ne coram ipsis testibus fatearis , mortem praeoptare , nonne furoris est et extremae dementiae ?

XLI. ALF. At enim mors est ignominiae praefenda . DEM. Non eo inficias , si inest in ignominia , facti vel animi turpitudine . Mors enim potius oppetenda est viro forti , quam turpiter aut ignave faciendum . Hic autem nulla est alia ignominia post certamen institutum , nisi fuisse victum , quod nec vitari jam potest , nec jure vituperari , cum vacet culpa , quae potissima ratio est verae ignominiae . ALF. Quid si victus honestam causam tuebatur , et crimen falso sibi objectum repellebat ? etiamne huic consilium dabimus ,
ut

ut faciat tali tempore deditioem, et crimen intentum fateatur?

DEM. Moriendum potius est, quam falsum crimen confitendum. Nam cum mentiri ipsum per se turpe est, tum cum sua vel alterius infamia turpissimum. Sed victor more hujus temporis, cum abolita lege Longobarda de gloria fere, ut dixi, vel injuriarum causa decertatur, non postulat a victo, ut in se quidquam fateatur; tantum petit, ut se dedat. Hoc autem non est confiteri crimen, sed se victum esse fateri: tunc esset, si semper et indubitato pejor causa vinceretur, quod nunc abest; ut declarant cum alia quotidiana exempla, tum nobile illud Spoletanorum fratrum, de quibus exstat Innocentii III. Pont. Max. rescriptum, qui fratres cum furtum sibi objectum certando expellerent, quod est postea apud alium repertum, victi tamen sunt, Deo propter alia ipsorum peccata permittente. Ergo victor imperitaque multitudo, utcumque velit, interpretetur; deditioem tamen non est alia vis, quam quod se victus victori tradit: nec aliud in his malis dedecus est, quam succubuisse, quod ipsum totum est opinabile, qui vere recteque judicant, ubi non est culpa, nullam ignominiam agnoscentibus. Nam victum necessitati cedentem se victori dedere, hoc est, in ipsius se potestatem permittere, in qua jam est, nihil addit novi dedecoris, quod sit tanta jactura redimendum. Nisi forte putamus, qui jam superatus est, hunc moriendo posse, quo minus fuerit victus, recusare. Sed faciamus ignominiam jam acceptam, cum vitari nullo modo possit, posse tamen moriendo non nihil sublevari: quae dementia est, quis furor per Deum immortalem, ut levius reddat tolerabile incommodum opinabilis dumtaxat infamiae, utpote sine culpa contractae, extremum malum sponte subire praeter omnem rationem?

Cap. significans de purgatione vulg.

XLII. ALF. Haec, Democrates, ut video, non ratione gubernantur, sed opinione geruntur, atque more militari. DEM. Quousque tandem non pudebit nos vulgarem et inanem persuasionem solidae virtuti praeferre? aut quid levitate hac potest magis contrarium excogitari magnanimitati? quae cum ceteras res humanas parvas putet, tum pro nihilo ducit rumores populares. Age vero, qui tam excors est, ut multorum errorem asserat certae rationi praefendum, hic quem tandem locum relinquit inquirendae veritatis, aut de quibusvis rebus disputandi? Quid enim ratione fiat, quaeri solet a sanae mentis hominibus; non quid stulte vel furiose, nisi forte

ut hoc vitetur cognitum, illud sine cunctatione petatur. Quamquam id perspicuum est, qui ut serviat multorum errori, se rationem sequi negat, hunc aperte profiteri, se neque fortem esse, nec magnanimum, nulla denique virtute praeditum, nec virtutis aliud, quam umbram fortassis quamdam consecrari. Nam quod ais, morem quoque militarem suffragari huic errori, negligenter mihi videris, quid maxima ex parte fiat a fortibus etiam militibus, observasse. ALF. Nonne plerique omnes milites sic loquuntur, moriendum esse potius, quam faciendam, etiam tali tempore, deditioem? DEM. Nonne plerique omnes milites se dedunt potius tali tempore, quam oppetant mortem voluntariam? Neque enim tam interest, quid homines loquantur, quam quid faciant. Veritas enim in rebus agendis, ut philosophorum sapientissimi testantur, non ex verbis, sed ex factis vitaque hominum iudicatur. Nam ut quidam encomium, ut dicitur, levissime canunt ante victoriam, sic multi multa jactant ambitiose praeter animi sententiam, temereque magna, ut sibi videntur, loquuntur, et de se tacite pollicentur, ad rumores populares colligendos, qui in tales angustias detrusi bonitate naturae rationem praeferunt pristinae suae et reliquorum stultae jactationi. Numquam igitur ego committam, ut huic militi, qui, cum fortiter ac strenue depugnasset, iniquitate tamen fortunae, quae in praeliis maxime dominatur, non sua ignavia victus est, et extrema necessitate compulsus deditioem fecit, quemquam eorum anteferam, qui, cum nullum ipsi praebuerint egregiae virtutis documentum, sustinent tamen stulte magnificis verbis illius prudenter ac fortiter factum vituperare. Hujus enim virtus et animus jam re mihi notus est, et certam spem dedit, si aequiore fortuna fuerit usus, egregiam se laudem per occasionem meriturum. Illorum audio quidem magna verba, certum indicium fortitudinis nullum fortasse vidi, nec habeo quidquam exploratum, quo possim, quid ipsi tali tempore praestituri sint, tam certa conjectura polliceri.

XLIII. Ut igitur nihil movearis religionis respectu, quod ipsum est summum malum et extrema infamia in homine Christiano, tamen si putas non jam repugnando, amissa videlicet facultate, sed praebendo jugulum nihil proficientem, non tibi, non patriae, non reipublicae consulentem, mortem oppetere, quam potes solo verbo, sine culpa vel novo dedecore vitare, pulchrum esse, et fortitudinis opus, vehementer erras. Illud enim jam non est, ut quidam

dam jactant, fortiter facere, sed stultissime pati. Huc itaque valet tritum illud inter milites verbum, vincendum esse, aut moriendum viro forti, ut nec mortis timor, nec periculum obsit, quo minus fortiter ac intrepide inimicum oppugnemus, non ut viribus exhaustis, ac utcumque repugnandi facultate sublata, ultro mortem accersamus: quod est hominis plane stupidi, vel perfracto animo. Quanto illud sanioris mentis est, et integrioris animi in extremis malis bene sperare? et qui letaliter est vulneratus, desperata corporis, animae salutis consulere, cui vero spes aliqua vitae superest, reservare se meliori fortunae? Multi enim, quorum exemplorum plena vita est, cum infeliciter aliquando pugnassent, non solum majore virtutis laude ignominiam delevere, sed etiam optime de patria vel republica merendo summam gloriam sunt consecuti. Quod si quis mortem praeoptat, ne vivus infamia et infelicis casus recordatione conficiatur, similiter omnino facit, ut qui mortem sibi consciscit, quo effugiat calamitates: quod timidi esse et prostrati animi, testis est non modo Augustinus, sed Plato et Aristoteles. Nec tamen fuisse miror, qui Gusmani imprudenter, ne dicam stulte, et impie factum laudibus efferrent, et fortassis ore pleno laudarent, non solum quoniam a solertibus hominibus saepe insania inter insanientes non inutiliter simulatur, ne, quos animi forsitan robore intelligentiaque excellunt, ab iis magnitudine verborum cum aliqua popularis existimationis jactura superari videantur: sed etiam quia multi milites tanta cupiditate laudis indomiti ac feri animi flagrant, ut belluis immanibus, quam prudentibus et praestantibus hominibus similes et esse, et haberi malint, ursi vel leonis feritatem virtutibus humanis praeferentes. Quae perniciose perversaque ambitio quantum absit ab ea, quam saepe dico, magnitudine animi, satis est, ut arbitror, a nobis supra declaratum. Alia est enim Sancticrucii causa: qui licet succiso femore in genu concidisset, non tamen nec gladium amiserat, nec spem posse se inimicum male accipere, si ille ut relato pede largius manante sanguine ad victoriam utebatur, sic cominus pugnare perrexisset. Quem porro exitum certamen habuerit, non ignoratis. Sancticrucius enim non fecit ille quidem deditioem, nec tamen se passus est jugulari: quamquam victus fuerit Alfonsi ducis judicio, qui victo consulens paulatim deficienti, et jam paene quasso sanguine pugnam diremit.

XLIV. Quod autem quaeris de spe divini iudicii in eum, qui
tur-

turpem causam defendens occiditur, quaestio non habet difficiles explicatus. Nam qui delicto pertinaciter indulgens obierit, peccati tenetur in Spiritum Sanctum, *quod nec in hoc saeculo remittitur, nec in futuro*. Qui vero malorum poenitentia tactus vel puncto temporis ante emissum spiritum, Dei misericordiam imploraverit, de hoc nihil est quod desperemus. Nam testibus Johele et Paulo: *Quicumque Dei nomen invocaverit, salvus erit: Nec Deus vult mortem peccatoris; sed ut convertatur et vivat*, vitam scilicet aeternam. Nam quod sepultura in loco sacro sic interemtis ab ecclesia negatur, hoc non tam pertinet ad animae efflatae praejudicium, quam ad infamiam, qua vivi solent multo magis interdum, quam peccato deterreri. Ceterum ut Christiani, sic viri fortis est ac magnanimi, ut saepe dico, talia certamina, quoad fieri potest, evitare; et numquam ambitionis, aut ultionis gratia, denique nisi ob honestissimam, eandemque necessariam causam, qualem supra exposuimus, suscipere.

XLV. ALF. Obsistere igitur injuriae venienti Christianis decernis esse concessum, illatas persequi negatum? DEM. Sic equidem statuo. ALF. Nullane ergo relinquetur male meritis ulciscendi ratio? sed magna impunitas erit pravis hominibus in bonos et magnanimos debacchandi, patientia fortium virorum abutentibus? quid hoc aliud est quam dare improbis et injustis peccandi licentiam, et optimos quosque reddere injuriis opportunos? DEM. Nonne leges sunt, quibus crimina pro merito vindicantur? non magistratus, qui *ministri Dei sunt*, ut Paulus ait, *et vindices in iram ei, qui malum agit*? ALF. Imbecillium et ignavorum hominum est, accepta injuria, magistratus fidem ad ultionem implorare. DEM. At fortium et magnanimorum, cum infertur, robusto animo repellere, illatam porro poenitentibus, quod ad se pertinet, condonare. Nec tamen si nostrae nobis injuriae exemplo Christi, ut docet Chrysostomus, magno animo ferendae sunt, protinus reipublicae contumeliae aut damna negligenda. Interest autem reipublicae, quam Deus in primis salvam et tranquillam esse vult, ne crimina maneat impunita. Quae majorem saepe civitatibus exemplo, quam praesenti malo perniciem afferunt, nisi legitimis poenis vindicentur. Vindicta enim pars est, et quidem magna justitiae, si tamen non ad explendum privatum odium sumatur, sed ad correctionem malorum spectet, et bonorum tranquillitatem. Quod munus regibus ac magistrati-

bus,

bus, bellique ducibus commissum est, ne privatis civium aut militum contentionibus et certaminibus status reipublicae perturbetur, cuius optimus quisque debet esse colens et studiosissimus. Quo fit, ut magistratibus, et quicumque personam gerunt reipublicae, per divinas leges humanasque liceat, injurias in se illatas rite vindicare, non irae privatae odiove indulgentibus, sed ne quid detrimenti res, aut dignitas publica patiatur. Nam quod vereris, ne vir optimus et magnanimus injuria fiat per has leges opportunus, nequidquam sollicitaris. Multa enim sunt, quae tales viros ab injuriis contumeliisque tutentur. Est enim, ut diximus, fortis et magnanimi, neminem laedere nisi lacesitum, nullius dictis aut factis obmurmurare, nullius neque laudi neque commodis invidere aut obtrectare: res, quas alii demirantur, praeter virtutem pro minimo ducere, multos juvare, ac beneficiis et gratuita liberalique opera demereri, cunctis demum officiis et virtutibus, omnium in se animos cum laude ac benevolentia convertere. Nihil est enim amabilius, nihil plausibilius virtute. Talem igitur virum quis laedere inducet animum? aut quis potius non colet ac demirabitur? Quod si quis tam perversae mentis, tamque depravatorum morum fuerit, ut virtutem oderit studiose, quod in fortem et robustum animum cadere non potest; hunc tamen ut pessima quaeque mancipia timor poenae ab inferenda in fortem et optimum virum injuria deterrebit. Timebit enim leges, quibus talis mentis factique perversitas et turpitude dignis suppliciis vindicatur: timebit, et multo fortasse magis, ne injuria, quam inferre molitur, fortiter propulsata (propulsare enim optimo et sanctissimo cuique licet) recidat in suum magnum malum. Quod si quis per insidias et captatam occasionem se injuriam sine praesenti poena inferre posse confidat, metuet tamen, ne, id quod interdum accidit, vir alioquin optimus et patientissimus iniquius ferat rei indignitatem, et ira, quae res est in primis violenta, depulsus, paulumque virtutis ac religionis angustias egressus, fortitudinem in audaciam convertat, ac injuriam turpiter et cum infamia auctoris illatam, severius multis approbantibus ulciscatur.

Quid viros fortes, et egregiae patientiae tutos reddat ab injuriis, et de ratione vindictae.

XLVI. Haec mihi in mentem venerunt, quae de militaris disciplinae et Christianae religionis convenientia pro temporis angustia dissererem, convenienter, ut arbitror, piorum et catholicorum sententiae, a qua statui numquam discedere. Cetera, si quae prae-

Subjicit auctor in persona Democraticis suam sententiam iudicio Ecclesiae Catholicae.

te-

terea desiderabitis , a doctioribus petetis et magis otiosis . LEOP. Tu vero , quae hujus erant loci , cuncta mihi videris acri ingenio exquisitaque doctrina copiosissime collegisse , meque tali tuo sermone interfuisse vehementer delectavit . ALF. Ego vero profiteor nullas jam pridem horas nec utilius nec jucundius , quam hoc bidduo , dum vos audirem , traduxisse : tibi que , Democrates , ingentem habeo gratiam , quod mihi diuturnam eandemque difficilem dubitationem exemisti . DEM. Si vobis satisfeci , tui nostri colloquii fructum , quem maximum optabam . Sit igitur disputationi modus . Jam enim advesperascit , et Pontifex ad palatium regreditur .



APOLOGIA *

JOANNIS GENESII SEPULVEDAE

PRO LIBRO

DE JUSTIS BELLI CAUSIS.

AD AMPLISSIMUM ET DOCTISSIMUM PRAESULEM,

D. ANTONIUM RAMIRUM

EPISCOPUM SEGOVIENSEM.

I. **C**OMMENTATIONEM tuam, Praesul amplissime, quam de bello Barbarico adversus meum *de justis belli causis* libellum elucubrasti, et mihi misisti, Cordubae acceptam non sine quadam consilii tui demiratione perlegi. Mirabar enim, quae te causa impulisset, ut elucubrato libello meam hujus generis sententiam oppugnare animum induceres, hominis primum tui tuarumque virtutum et dignitatis studiosi et cupidi, deinde publicam et honestissimam nostrae nationis et Principis, cui tu plurima debes, causam adversus quorundam pertinaciam apertissimis et gravissimis divinarum scripturarum et sacrorum doctorum testimoniis et firmissimo rationum praesidio et ecclesiae auctoritate defendentis. Nam te virum prudentem et antistitem gravissimum ambitioni servisse, ut ingenium tam alieno loco et doctrinam ostentares, adduci non poteram. Praesertim cum parum aut nihil de tuo afferas, sed pleraque omnia aliena, nec satis tua singulari eruditione digna, et ab his sumta, qui calumniis et strophis parum vel prudenter vel modeste, ne quid gravius dicam, in mea sententia honestissimam Republicae ac Regum nostrorum causam oppugnant. Sed cum omnia sollicito animo et vaga cogitatione perlustrassem, in eam potissimum opinionem adductus sum, ut te virum optimum et perhumanum nihil aliud secutum fuisse, quam officium existimarem, et libello, quo rationum, quibus maxime nituntur adversarii, mo-

Tom IV.

T t

men.

* Videnda quae de hac *Apologia* scripsit ad Sepulvedam V. Cl. Ant. Augustinus in epistola quae incipit: *Summam illius quaestionis, &c.* quae suo loco apponetur.

menta complexus es, conficiendo, ad meque mittendo, id egisse, ut vel me errantem et rationibus cedentem, in viam reduceres, aut si persisterem in sententia, quomodo objecta diluerem, me respondente planius intelligeres. Faciam igitur quod tacitus jubes, imo vero plus quam jubēs: proponam enim non tuā solum argumenta, sed etiam omnia, quae mihi vel Compluti vel Salmanticae fuerunt objecta, et interjectis more scholastico mearum rationum fundamentis et confirmationibus, ad singula respondebo, refellamque calumnias non tuas (novi enim animi tui candorem ac simplicitatem) sed quorundam, ambitione aut etiam gravioribus animi morbis laborantium hominum, quos certum habeo, omni ope elaborasse, quo te, ut multos alios, eisdem praestigiis ludificarentur.

Neque Salmant. neque Complut. academia judicavit contra libellum Sepulvedae.

II. Sed primum omnium deponenda tibi est falsa persuasio, si forte putas Salmanticensem aut Complutensem academiam contra meum libellum judicasse: non enim universitatis illud iudicium fuit, sed paucorum corruptorum hominum artificium, non communis sententia, sed duorum aut trium utrobique praestigiae, quorum ceteri auctoritatem propter doctrinae majorem opinionem suo iudicio praetulerunt. Sic igitur disputationem ordiris: *Quaestio est, inquis, an liceat bello Indos prosequi, auferendo ab eis dominia possessionesque et bona temporalia, et occidendo eos, si resistantiam apposuerint, ut sic spoliati et subjecti facilius per praedicatores suadeatur eis fides.* Quaestionem autem, ut de mea sententia disseratur, ad hunc modum proponere, quid aliud est, quam in limine, ut ajunt, offendere, et ipso statim disputationis principio artes eorum prodere, unde ista sumsisti? Qui ceterarum machinationum, quibus meum librum oppugnant, infirmitati diffidentes praesidium petunt a falsis criminibus, et quas injurias et impia latrocinia acerrime meus libellus insectatur, harum me patrocinium suscepisse mentiuntur, ut mihi faciant invidiam, sibi vero concilient favorem popularem; nisi forte meum librum vel non legerunt, vel lectum propter characteris paulo cultioris insolentiam non intellexerunt. Quod multis accidisse sensi ex his, quorum suffragio res permissa est, ut scias ipsum a plerisque indicta causa fuisse damnatum, jure divino et naturali repugnante. Ego igitur, ne te mea sententia, de qua quaerendum est, lateat, hos barbaros non possessionibus et facultatibus spoliandos esse dico, nec in servitutem redigendos, sed
Chri-

Christianorum imperio subjiciendos, ne fidem aut ejus propagationem impediunt, praedicatoribus obsistendo, et Deum per idololatricam blasphemando, et ob alias ipsorum utilitates. Aliter igitur quaestio proponenda est in hunc modum.

III. *Quaeritur, utrum barbari, quos Indos vocamus, Christianorum Hispanorum imperio jure subjiciantur, ut barbaris moribus et cultu idolorum ac impiis ritibus sublatis, ad accipiendam Christianam religionem ipsorum animi praeparentur.* Qui negant, his rationibus ducuntur.

Questionem ab Ant. Rámiro male positam corrigit.

Primum ita disserunt: *Bellum, quo isti barbari in Christianorum ditionem rediguntur, non est justum: non igitur jure debellantur.* Illud probatur: justa bella definiri solent (ut inquit Augustinus 23. q. 2. c. *dominus*) quae ulciscuntur injurias: isti autem barbari nulla injuria Christianos affecerunt: non igitur jure his bellum infertur.

Argumenta quibus ducuntur qui negant bellum hoc justum.

Secundo: *Bellum quod ad tradendam religionem pertinet, non potest esse justum: religionis igitur praetextu bellum barbaris juste inferri non potest.* Namque ad fidem neminem esse cogendum testis est Augustinus in epistola Petiliani, et habetur 23. q. 5. *ad fidem*, et concilii Toletani 4. decretum est ad credendum nemini esse vim faciendam, de quo est in c. *de Judaeis* dist. 45. et c. *maiores de bapt. et ejus effectum*. Idem testatur Gregorius in epistola ad Pascas. de qua est in eadem dist. c. *qui Syncera*.

Tertio: *Hoc bellum fit contra Christi et Apostolorum exemplum, qui persuasionibus tantum, nulla omnino vi adhibita, religionem tradiderunt: non igitur juste infertur, cum omnis Christi actio debeat esse nostra instructio, auctore Paulo ad Rom. 15.*

Quarto: *Finis huic bello propositus, scilicet barbarorum conversio ad fidem, alia ratione, et sine armis commodius obtineri posset, scilicet per Evangelii praedicationem, missis Apostolis seu praedicatoribus, ut in primitiva Ecclesia factum est: non igitur est bellum inferendum.* Nam bellum necessitatis esse debet, id est, cum nulla alia ratione belli finem pacemque consequi datur, ut testatur August. 23. q. 1. c. *noli*.

Quinto: *Nulli genti bellum est inferendum, nisi antecedente monitione, et cognita pertinacia, nam obtemperantibus injustissime vis adhibetur. Quamvis igitur idolorum cultum deponere, et praedicatorum admittere nolentibus, jure possit bellum inferri, prius tamen, ut haec facerent, essent admonendi, ut non aliter, quam sprete admonitione, pertinacibus bellum inferretur. Hoc autem numquam factum*

ctum est ab Hispanis in hoc bello : numquam igitur juste hoc bellum intulerunt .

Sexto : *Fieri non potest , aut certe difficillimum est , ut bellum hoc sine peccatis multisque malis geratur , ut res ipsa docuit , numquam enim gestum est sine injuria et maleficio magnisque incommodis , et jacturis barbarorum . Non est igitur gerendum ne spe quidem boni quamlibet magni , quod eventurum esse videatur : non enim facienda mala sunt , ut eveniant bona , auctore Paulo ad Rom. c. 3.*

Septimo : *Non est juris aut potestatis Ecclesiae sive Pontificis de infidelibus judicare : Papa ergo nec per se , nec per alium potest infideles ad cujuspiam legis observationem compellere . Non enim fuit talis potestas Apostolis concessa , ut Paulus testatur 1. Cor. 5. dicens : Quid enim pertinet ad me de iis , qui foris sunt , judicare ? ergo nec Ecclesiae .*

Contra haec faciunt sanctorum Patrum apertissima testimonia et Ecclesiae decretum factum , atque declaratio .

Responsio
probatum primo.

IV. Respondetur : *Optimo jure isti barbari a Christianis in ditionem rediguntur .*

Primum : *Quia sunt , aut erant certe , antequam in Christianorum ditionem venirent , omnes moribus , plerique etiam natura barbari , sine litteris , sine prudentia , et multis barbaricis vitiis contaminati : ut testatur historia generalis de ipsis scripta , et auctoritate Indici consilii probata lib. 3. c. 6. Barbari enim , ut ait Thomas Polit. primo , lectione prima , simpliciter nominantur , qui ratione deficiunt , vel propter regionem caeli , ex qua hebetes magna ex parte inveniuntur , vel propter aliquam malam consuetudinem , qua homines fiunt quasi brutales : hujusmodi autem gentes jure naturae debent humanioribus , prudentioribus et praestantioribus parere , ut melioribus moribus et institutis gubernentur ; sed si admoniti imperium recusent , possunt armis cogi , et id bellum erit justum jure naturae , ut auctor est Arist. primo Politicorum c. 3. et 5. et Thomas ibidem : quo factum est , ut imperium Romanorum in alias gentes fuerit justum , et voluntate Dei quaesitum , ut testatur Augustinus lib. 5. de civitate Dei c. 12. et deinde : Romanis , inquit , concessit Deus maximum et illustrissimum imperium ad domandum gravia mala multarum gentium , qui Romani propter gloriam multa vitia comprimebant , id est , virtutes colebant . Ergo eadem potioreque ratio-*

tione Hispani possunt Indos in suam ditionem redigere. Hoc idem asserit Sanctus Thomas de Reg. prin. lib. 3. c. 4. et deinde, allegans Augustinum.

V. Secundo: *Isti barbari implicati erant gravissimis peccatis contra legem naturae, cujus ignoratio nemini suffragatur, propter quae Deus delevit gentes peccatrices, quae terram promissionis incolebant, cuncti enim idolorum cultores erant, et plerique omnes immolabant victimas humanas. Nam quod Deus non occulto iudicio, sed propter huiusmodi idololatriam deleverit eas gentes, testatur Scriptura divina non obscure, sed verbis apertissimis. Sic enim scriptum est: Ne dicas, cum deleverit eos Dominus in conspectu tuo: Propter justitiam meam introduxit me Deus, ut possiderem terram hanc, cum propter impietates suas istae deletae sint nationes. Et ibidem: Omnes abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios et filias, et comburentes igni. Et explicans Scriptura impietates, propter quas deletae sunt gentes, sic ait: Quando ingressus fueris terram, quam dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inveniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem, aut qui hariolos sciscitetur, et observet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, et quaerant a mortuis veritatem: Omnia enim haec abominatur Dominus, et propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. Quibus testimoniis aperte declaratur has gentes propter idolorum cultum fuisse deletas: omnia enim peccata, quae hic memorantur, Theologorum consensu ad idolorum cultum referuntur, aut impiam superstitionem. Idem prope traditum est Levit. 18. et 20. Item ob eadem peccata populum Israëliticum magna ex parte fuisse deletum, et in servitutem et captivitatem abstractum, testatum est in Psalmis: Commixti sunt, inquit, inter gentes, et didicerunt opera eorum, immolaverunt filios suos, et filias suas daemoniis, et iratus est furore Dominus in populum suum, et tradidit eos in manus gentium. Adjuvat quod est Sapientiae 12. et Exod. 32. Quibus rebus declaratur eis peccatis lex naturae violari, cum ob eadem utrique fideles et infideles puniti fuerint. Quare eisdem de rebus memorans Cyprianus in exhortatione ad martyrium, addit: Quod si ante adventum Christi circa Deum colendum, et idola spernenda haec praecepta servata sunt, quanto magis post adventum Christi servanda? quae verba ha-*

habentur 23. q. 5. c. *si audieris*. Cui plane astipulatur Ambrosius, ut est 23. q. 5. c. *remittuntur*. His testimoniis cum idolorum cultus modo per se, modo accedentibus humanarum victimarum sacrificiis, causa justis belli ac internecionis fuisse memoretur, aperte declaratur idololatriam per se satis magnam et justam causam praebere fidelibus ad bellum idololatriis inferendum, ut Nicolao Lyrae visum est, Numerorum c. 31. illud praecipue citanti, *subvertite omnia loca, in quibus gentes, quas possessuri estis, coluerunt deos suos*. Quod etiam Divi Thomae doctrina et testimonio comprobatur, qui, cum secunda secundae q. 10. art. 8. scripsisset, infideles posse bello a fidelibus compelli, non ut credant, sed ut fidem non impediunt blasphemias, vel malis persuasionibus, aut persecutionibus; post haec q. 94. art. 3. idololatria magnam blasphemiam contineri, et opere fidem impugnari testatur. Quam doctrinam secutus Lyra, quo loco diximus: *una, inquit, justis belli causa est, contra terram, in qua Deus per idololatriam blasphematur*. Itaque Augustinus in Epist. 50. quae est ad Bonif. docens pios reges servire Deo idolorum cultum oppugnando: *sic, inquit, Ezechias servivit Domino, lucos et templa idolorum, et excelsa, quae contra praeceptum Dei fuerant constructa, destruendo; et Josias eadem faciendo; sicut Rex Ninivitarum ad placandum Dominum universam civitatem compellendo: sicut servivit Darius idolum frangendum in potestatem Danieli dando: sicut servivit Nabuchodonosor, &c.* Nam quod Cajetanus infideles negat jure posse a Christianis ob infidelitatem debellari, intelligendum est ob solam infidelitatem, puniendi gratia, non autem si fuerint simul idolorum cultores, aut alia ratione non servent legem naturae.

Probatur ratione bellum inferri juste idololatriis.

De Reg. Princ. l. 5. c. 10. 12.

VI. Item alia ratione probatur concessum esse Christianis bello persequi idolorum cultores *auctoritate publica et pontificia*. Christo enim secundum humanitatem *data est omnis potestas in caelo et in terra*; ut est Matthaei ultimo: hanc autem potestatem Christus Petro vicario suo et successoribus communicavit, ut docet Thomas. Quae potestas etsi proprie versatur in iis, quae pertinent ad salutem animae, et bonis spiritualibus; tamen a temporalibus, quatenus ordinantur ad spiritualia, non excluditur; ut est in eodem libro c. 3. Habet igitur Papa potestatem ubique gentium, non solum ad praedicandum Evangelium, sed etiam ut gentes, si facultas adsit, cogat, legem naturae, cui omnes homines subjecti sunt, servare:

ut

ut Innoc. et Hostiens. gravissimi Auctores tradiderunt, in c. *quod super his de voto*: quibus Joan. Andreas et Panor. suffragantur.

VII. Nam Christus, qui sic praecepit Apostolis (Matthaei ultimo) *docete omnes gentes, quaecumque mandavi vobis*: idem naturae lex, quae decalogo, et dilectione proximi continetur, in primis servari jussit. Ut autem infideles Evangelicam praedicationem audire et legem naturae servare cogantur, necesse est ut Christianorum imperio subjiciantur: causaliter igitur, ut utar verbo pontificio, hoc quoque pertinet ad potestatem Papae, quod magno-pere dirigitur ad spiritualia, quae sunt ejusdem potestatis, c. *per venerabilem*, §. *rationibus qui filii sint legit*. Qui autem idola colunt, ii maxime violant legem naturae. Jure igitur idololatrae bello possunt a Christianis coerceri, ut ipsorum imperio subjecti, ex lege naturae vivere cogantur, neve per idolorum cultum ab ipsis Deus blasphemetur, et offendatur. Legem autem naturae ab idolorum cultoribus minime servari dubitari non poterit, si legem naturae ab aliqua gente non servari quid sit, intelligatur. Quamvisque enim omnia peccata mortalia sint contra legem naturae, ut esse docet Augustinus, non tamen, si qua in gente peccata mortalia patrantur, protinus hi dicendi sunt legem naturae non servare, ut juniores quidam theologi falso putarunt. Nam eo quidem modo nusquam gentium lex naturae servaretur. Causa enim publica publicis moribus et institutis dijudicanda est, ut docet Aristoteles, non singulorum recte aut perperam factis. Sed ea demum gens legem naturae non servare intelligenda est, apud quam peccatum aliquod mortale in rebus turpibus non habetur, sed publice probatur; ut apud hos barbaros homicidium innocentium, qui multis in regionibus immolabantur, et ubique apud eosdem idololatria, quod est peccatorum gravissimum. Quibus rationibus plane intelligitur non peculiari Dei voluntate et occulto judicio, sed communi lege naturae propter memorata flagitia, quae pertinent omnia ad idolorum cultum, illas gentes fuisse deletas. Itaque his divinae historiae et sacrorum doctorum testimoniis colligitur hos barbaros propter suas impietates, si jure summo agendum esset, potuisse et vita et terris ac bonis omnibus mulctari ad justam punitionem: quanto igitur magis jure possunt Christianorum imperio subjici, non ut talia patiantur (nam possessionibus eos aut libertate privare vetitum est lege Regum Hispanorum) sed ut Christianorum imperio subjecti

Contr. Faust.
lib. 22.

Polit. 3.

a talibus flagitiis, quibus maxime Deus offenditur, abstinere cogantur, et meliorum rerum consuetudine et piorum commercio ad veri Dei cultum et religionem accipiendam praeparentur. Huc quoque pertinet, quod est Deut. 20. *Si quando, inquit, accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit, et aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, et serviet tibi sub tributo. Sin autem &c.* Deinde: *Sic, inquit, facies cunctis civitatibus, quae a te procul valde sunt: id est, quae sunt diversae religionis, ut glossa interlinearis exponit, quod in idololatrias maxime convenit. Itaque idolorum cultores designat, quamvis eorum iniquitates non essent completae ut Amorrhaeorum, ut melioribus et piis hominibus parentes ad veri Dei cultum ipsorum vel doctrina vel exemplo dirigerentur.*

VIII. Tertio: *Innocentes homines, ne indigna morte trucidentur, servare omnes homines jubentur lege divina et naturali, si facere id possint sine magno suo incommodo.* Cum igitur isti barbari singulis annis multa innocentium hominum millia ad impias daemoniorum aras mactarent (constat enim in sola nova Hispania singulis annis amplius viginti millia immolari solita) idque prohiberi hac una ratione posset, si proborum, et a talibus et tam immanibus flagitiis abhorrentium hominum, quales sunt Hispani, imperio subjicerentur: quis dubitet, vel hac una ratione, justissime barbaros potuisse et posse a Christianis in ditionem redigi?

IX. Quarto: *Homines periculosissime errantes, et ad suam certam perniciem contendentes, seu ignorantes id, seu scientes faciant, revocare, atque etiam invitos ad salutem retrahere, juris est divini et naturalis, et officium quod sibi etiam invitis praestari omnes homines sanae mentis vellent.* Omnes autem homines, qui

Officium, quo ad salutis viam barbari ducuntur, duplex.

extra Christianam religionem vagantur, aeterna morte perire, si quis dubitat, non est Christianus. Jure igitur barbari salutis suae causa ad justitiam compelluntur. Hoc autem officium dupliciter praestari potest, uno modo per doctrinam tantum et exhortationem, altero vi quadam adhibita, et poenarum metu, non ut credere cogantur, sed ut tollantur impedimenta, quae obesse possent fidei praedicationi, et propagationi. Priore modo usus est Christus, et Apostoli: secundo usa est Ecclesia, postquam Regum et Principum Christianorum potentia et praesidio munita est: et utrumque factum, ut docet Augustinus, divino et evangelico praecepto, quod

quod convivii similitudine continetur. Nam, cum primi invitati venire noluerint; secundi permonitu et doctrina fuerint ad epulas divinas introducti: postremi, ut intrent, compelli jubentur. Quae de re Augustinus epistola ultima, et habetur c. *displicet*, 23. q. 4. cum ipsi primorum temporum ratio ab haeretico Donato objiceretur. *Non attendis*, inquit, *quod tunc Ecclesia novo germine pululabat*, nondum completa fuerat illa prophetia, et adorabunt eum omnes Reges terrae, omnes gentes servient ei. Quod utique quanto magis impletur, tanto majore Ecclesia utitur potestate, ut non solum invitet, sed etiam cogat ad bonum, ad cujus confirmationem subjicit Parabolam Evangelicam, de qua dixi. Nam quod est in concilio Toletano, et c. *majores de bapt. et ejus effectu*, neminem ad credendum cogi debere, planum et apertum habet intellectum, neminem nec vi aut bello, nec minis compellendum esse, ut Christianus fiat, baptismumque suscipiat invitus. Cujus ratio est, quoniam ea vis esset inutilis, nemo enim voluntate, quae cogi non potest, repugnante, potest effici fidelis. Itaque doctrina et persuasionibus utendum est.

X. Ceterum, ut quisquam deponat omnia impedimenta, ut superbiam licentiamque peccandi, quae obesse possent tradendae doctrinae, minis et poenarum metu justissime cogitur, auctoribus Augustino, Ambrosio et Gregorio: nam quod est in concilio Toletano, idem Augustinus, qui vim probat, multo ante dixerat: *Ad fidem*, inquit, *nemo cogendus est, ut dicitis*: alloquitur autem haeticum Petilianum 23. q. 5. *ad fidem*: *Sed vos imperatoria lege non benefacere cogimini, sed malefacere prohibemini. Nam benefacere nemo potest nisi elegerit quod est in libera voluntate. Cum aliquid ergo adversus vos leges constituunt, admoneri vos credite, ut cogitetis, quare ista patiamini.* At idem in epistola ad Vincetium, ut habetur 23. q. 6. c. *vides*, sic scribit: *Vides*, inquit, *non esse considerandum quod quisquam cogitur, sed quale sit illud ad quod cogitur, utrum bonum an malum, non quod quisquam bonus possit esse invitus, sed timendo quod non vult pati, vel relinquit impedientem animositatem, vel ignoratam compellitur agnoscere veritatem, ut timens vel respuat falsum, de quo contendebat, vel quaerat verum, quod nesciebat, ut volens jam teneat, quod nolebat.* Nam licet contra haeticos haec disserat Augustinus, tamen rationes ipsius contra paganos similiter valere, idem ipse Augu-

stinus docet in eadem epistola ad Vincentium, ubi de legibus contra utrosque latis memorat, declarans, neutris vim factam fuisse a Christo vel Apostolis; postea vero utrisque illatam ab ecclesia potentia et legibus Imperatorum Christianorum munita, ut habetur 23. q. 4. c. *non invenitur*: in qua epistola docet eisdem rationibus justam esse legem latam adversus sacrificia paganorum, et ab omnibus Christianis laudatam: quae habetur in c. *de paganis et eorum sacrificiis*, l. 1. ibi enim constituta est poena capitalis et bonorum publicatio, si quis amplius sacris et ritibus paganis uteretur: quam legem primum a Constantino, ut Eusebius in historia ecclesiastica et Hieronymus in chronicis testantur, latam, et post a Constantio filio et aliis Imperatoribus confirmatam, ut piam et justissimam pugnacissime defendit Ambrosius apud Imperatorem Valentinianum. Gregorius autem in epistola ad Aldibertum Britannorum Regem, quae est noni lib. 60. haec de rebus eisdem tradit. *Sic enim Constantinus quondam piissimus Imperator Romanam Rempublicam a perversis idolorum cultoribus revocans, omnipotenti Deo Domino nostro Jesu Christo secum subdidit, &c.* nec interest, subjecti sint pagani imperio Christianorum, an secus, quibus vis salutifera est inferenda.

Epist. 30. 31.

Sisebutus
Rex Hispaniae
Judaeos ad fidem
Christianam
coëgit.

XI. Nam Sisebutus Rex Hispaniae, qui Judaeos ut Christiani fierent coëgit, in sibi subjectos vim intulit; tamen factum ejus non perinde probatur, quia talis vis simpliciter sive directe ad Christianismum compellens, inutilis habetur, quia voluntatem cogere nequit, et pertinaciores facit. Prohibere autem a malo, quod fit lege Constantini, quae eadem est Constantii, magnum beneficium est, et quod, si absque incommodo nostro possumus, omnibus hominibus, ut proximis impendere jubemur lege divina et naturali. *Mandavit Deus unicuique de proximo suo.* Haec igitur est ratio ex Evangelica parabola, et Augustini, Ambrosii et Gregorii doctrina, paganos ut ad Christi epulas intrent compellendi. Ut primum Christianorum imperio, si fieri sine magno incommodo nostro possit, qui non sunt subjecti, subjiciantur. Deinde ut lege Constantini convenienter, idolorum cultu et omnibus ethnicis ritibus prohibeantur, tollanturque omnia impedimenta, quae obesse possent evangelicae praedicationi. Quibus rationibus, et testimoniis edoctus divus Thomas, ritus infidelium praeterquam Judaeorum negat esse ullo modo tolerandos, si facultas adsit: *Quamvis aliquando, inquit, fuerint ab Ecclesia tolerati, cum scilicet erat magna in-*

Ecc. 17.

2. 2. q. 10.
art. 11.

in-

infidelium multitudo, id est, antequam essent Principes Christiani, qui cogere possent. His autem rebus confectis, nulla praeterea vis, nullus metus, quo Christiani fiant, est adhibendus. Sed ita praeparati doceri debent, et fidei praedicationi, ut Christianismum volentes suscipiant, induci, ut sapientissimi ac sanctissimi Pontificis Gregorii decreto seu testimonio declaratur, quod habetur 23. q. 4. *si non*: quo in loco Gennadium virum optimum et Christianissimum laudat, et ab omnibus laudari testatur, quod gentes paganas haud dubie non subjectas in Christianorum ditionem bello redigendas curaret, non ob aliam causam, nisi ut, cum essent debellatae, facilius in Christianam religionem per liberam fidei praedicationem inducerentur. Nam Gennadium scribit ubique laudari, quod bella frequenter appeteret: *Non, inquit, desiderio fundendi sanguinis, sed tantum dilatandae causa Reipublicae in qua Deum coli conspicimus, quatenus Christi nomen per subditas gentes fidei praedicatione circumquaque discurrat*. Loquitur autem non, ut quidam somniarunt, de Saracenis sive Mahumetanis, qui eo tempore nulli dum erant, nec, ut alii, de Vandalis, qui jam fuerant a Bellisario deleti, nec, ut alii, de haereticis, qui puniendi erant, non debellandi, nec gentium alieno nomine vocandi; sed de gentibus in Africa interiore Romano Imperio finitimis, ut declaratur in extremo ejusdem epistolae, quae primi libri est 73. nec denique quod Christianos infestarent, ut falso quidam causantur, hoc enim exclusum est a Gregorio per verbum *tantum*; sed ut a Christianis debellati fidei praedicationem et propagationem non impedirent.

XII. Hoc est enim quod Thomas ait: *Frequenter, inquit, Christi fideles contra infideles bellum movent, non quidem ut eos ad credendum cogant, sed ut compellant, ne fidem impediant*: explicans videlicet causam, cur Gennadius pium bellum infidelibus frequenter inferret. Nam gentes, quae non sunt Christianorum imperio subjectae, multifariam fidem ejusque propagationem, si quis eam inducere velit, impediunt. Primum quia publicam ejus praedicationem non admittunt, ut constat etiam auctore Thoma lib. 3. *de Reg. Prin.* cap. 16. numquam ante Constantini tempus sine mortis periculo publice fidem praedicare licuisse. Deinde quia praedicatores etiam occultos occidunt, et ne qui suorum convertantur, obstant, et conversos persuasionibus, aut etiam persecutionibus avertere conantur: ut saepe et a multis ante Constantini principatum factum

2. 2. q. 10.
art. 8.

Gentes multifariam fidem propagationem impediunt.

est, et passim initio Ecclesiae fiebat. Accedit quod infideles Christianis subjecti facilius adducuntur, ut nostros mores et religionem sequantur. Non igitur sola praedicatione et disputatione utendum est, nec in paganos, nec in haereticos, ut in primitiva Ecclesia, cum nullus Principum crediderat; sed cum facultas adsit, vis utilis et permissa, quemadmodum exposuimus, adhibenda. Haec enim expeditissima ratio est gentes ad Christi fidem convertendi, ut omni saeculo res ipsa et exempla docuerunt, quae exempla vim habent demonstrationis, teste eodem Augustino in eadem ad Vincentium epistola. Cujus verba translata sunt 23. q.6. *Vides: Mea primitus, inquit, sententia erat, neminem ad Christi et ecclesiae unitatem esse cogendum, verbis esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum. Sed haec mea opinio non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primum opponebatur mihi mea civitas, quae cum tota fuisset in parte Donati, ad unitatem catholicam legum imperialium timore conversa est. Quam nunc videmus ita animositatis vestrae perniciem detestari, ut in ea numquam fuisse credatur. Et item aliae multae. Thomas quoque: Quo anno, inquit, Constantinus conversus est ad fidem, baptizata sunt circa partes Romanas plus quam centum millia hominum.*

*De Regim.
Prin. lib. 3.
c. 16.*

XIII. Quod evenire constat eodem modo in hac Indorum conversione, qui, cum fuerint in ditionem redacti, et impiis sacrorum ritibus prohibiti, vix evangelica praedicatione audita, agminatim confluunt baptismum postulantes; sic enim fere hominum more ac natura comparatum est, ut victi facile in morem victorum et imperantium transeant, et facta dictaque eorum libenter imitentur. Itaque hac ratione paucis diebus plures et tutius ad Christi fidem convertuntur, quam fortasse trecentis annis sola praedicatione converterentur. *Fieri enim non potest, ut Philosophus ait, aut non facile fit, ut ea verbis mutantur, et extrudantur, quae impressa sunt moribus, temporeque diuturno retenta. Itaque vi opus esse ait. Unde natae sint leges, quae vim cogentem habent. Cui naturali dogmati maxime convenit Augustini Ambrosiique doctrina, et Ecclesiae atque Gregorii sapientissimi Papae decretum in memorato cap. si non. Quod solum per se potest omnem controversiam in hac causa communi lege rationeque dirimere. Congruit etiam Joannis Scoti doctrina, qui majorem etiam vim in tradenda religione infidelibus et filiis infidelium adhiberi censet, 4. sententiarum dist. 4. q. ul-*

*Arist. Ethic.
10.*

ti-

tima, et Joannis Majoris 4. *sententiarum dist.* 44. q. 3. qui hanc in barbaros expeditionem nominatim probat.

XIV. Quas rationes atque decreta secutus Alexander VI. Papa anno Christi 1493. Fernando et Isabellae Regibus nostris, ab eximia religione Catholicis cognominatis, oraculum et sententiam sedis Apostolicae juxta tradita Deut. 17. et c. *per venerabilem, qui filii sint legitimi*, sciscitantibus, volentibusque et suo jure petentibus rescribens, negotium dedit, et magnopere hortatus est, ut hos barbaros imperio suo subjicerent, et ad Christi fidem reducendos curarent, his verbis, quae ex bulla plumbata descripta sunt: *Unde omnibus diligenter, et praesertim fidei catholicae exaltatione et dilatatione (prout decet Catholicos Reges et Principes) consideratis, more progenitorum vestrorum clarae memoriae Regum terras firmas et insulas praedictas illarumque incolas et habitatores vobis, divina favente clementia, subjicere et ad fidem catholicam reducere proposuistis. Nos igitur hujusmodi vestrum sanctum et laudabile propositum plurimum in Domino commendantes, ac cupientes, ut illud ad debitum finem perducatur, hortamur vos quamplurimum in Domino, et per sacri lavacri susceptionem, qua mandatis Apostolicis obligati estis, et viscera misericordiae domini nostri Jesu Christi attente requirimus, ut cum expeditionem hujusmodi omnino prosequi et assumere prona mente orthodoxae fidei zelo intendatis, populos in hujusmodi insulis et terris degentes ad Christianam religionem suscipiendam inducere velitis et debeatis, nec pericula, nec labores ullo umquam tempore vos deterreant, firma spe fiduciaque conceptis, quod Deus omnipotens conatus vestros feliciter prosequetur.* Haec Alexander Pontifex. Cui et similibus decretis non solum stare Christiani homines eo decreto jubentur, sed si quis non paruerit, aut contradixerit, ipso jure per dictum c. *per venerabilem* excommunicatur, et alioquin Christi Vicarium, ut in libro de dispensatione testatur Bernardus, tanquam ipsum Christum, in iis quae non sunt aperte contra Deum, audire debemus. Cujus decreta et rescripta in iis, quae fidem aut mores attingunt, contemnere, haereticum esse, magni Theologi tradiderunt. Quo igitur jure Christi Vicarius potest gentes omnes ab idolorum cultu, si facultas adsit, prohibere, et ad praedicationem Evangelicam audiendam compellere: eodem valet ipsas imperio Christianorum per se aut Principes Christianos subjicere: cum haec via expeditissima sit et commodissima

Alexander VI. Fern. Hispan. Regem hortatus est, ut barbaros suo imperio subjiceret.

Hanc epistolam huic apologiae post finem subjicimus.

V. Silvium in verb. *Canonizatio.*

ma ad ea perficienda et salutem animarum comparandam.

Antequam
gentes bello
subigantur,
per legatos
admonendi
sunt, si pro-
desse possit.

XV. Ceterum quidam docti quidem homines, sed non perinde usu rerum periti, oportere tradiderunt, ut antequam bellum pareretur, missis legatis admonerentur barbari, ut ab idolorum cultu desisterent, et Christianae religionis praedicatores publice admitterent; ut si postulatis adquiescerent, ipsorum animarum saluti citra bellum consuleretur; sin autem haec ab ipsis impetrari non possint, tunc justis armis debellati imperata facere compellerentur: quae admonitio, fateor, si absque magnis difficultatibus et utiliter fieri posset, non erat repudianda, nec omittenda. Est enim similis ei, quam Christus fieri jubet in fraterna correctione, priusquam ad denuntiationem procedatur.

XVI. Ceterum quemadmodum in fraterna correctione inutilis admonitio omittenda est Theologorum consensu, et ad denuntiationem, si res praesertim publica postulet, procedendum; sic est de hujusmodi admonitione in hoc bello barbarico statuendum, ut omittatur omnino, si prudenter existimantibus inutilis fore videatur.

Admonitionem hanc, qua gentes sunt, instruendi, inutilem esse probatur.

XVII. Nam *debet qui arat, arare in spe fructus percipiendi*, auctore Paulo 1. Cor. 9. et quod est inutile, pro nullo habetur, ut declarat caput *inter corporalia de translatione Episcopi*. Hanc autem admonitionem esse inutilem in tali causa, ac idcirco numquam factam fuisse, multifariam declaratur. *Primum* quia est factu difficilis, et erat difficillima initio belli: tot enim nationes tam barbaras, immenso Oceani et terrarum intervallo distantes, nullo linguae commercio adire et admonere, nec solum quid responderent, sed etiam quid facerent, expectare, res esset tam difficilis, tanti sumtus, tam longi temporis, ut facile Principes omnes Christianos a tali conatu deterreret. Itaque hanc admonitionem, ut necessariam inducere, nihil aliud erat, quam expeditionem piam et barbaris salutiferam, ac proinde ipsorum conversionem, quae finis belli est, penitus impedire. Est igitur inutilis, et proinde omittenda. Nam quae ordinantur ad finem, haec rationem boni ex ordine ad finem sortiuntur: quare quae finem impediunt, non habent rationem boni. Ut Thomas 2. 2. q. 33. art. 6. ad. 3. tradidit. *Deinde* haec admonitio, etsi superatis difficultatibus fieret, nihil tamen aut parum proficeret: esset igitur inutilis, et omittenda: non enim est probabile, neque vero simile, gentem aliquam per solam admonitionem et externae nationis exhortationem adduci posse, ut insitam et a-

ma-

majoribus acceptam religionem relinquat. Nam ut est in epistola Augustini ad Vincent. *Si docerentur infideles, et non terrerentur, vetustate consuetudinis obdurati ad capessendam viam salutis pigrius moverentur.*

XVIII. Si quis autem dicat, non verbis solum admonendos esse barbaros, sed etiam metu admoti exercitus terrendos, ut metu saltem imperata faciant; jam hoc esset difficultatem admonitionis plurimum augere, et vim facere, propter quam vitandam, ipsi admonitionem inducunt: quae vis si facienda est, non est omittenda utilissima, quae imperium Christianorum accipere cogat. Praeterea quamvis barbari metu impulsus praedicatores admitterent, et cultum idolorum ad tempus deponerent, vel potius deponere simularent; tamen non dubium est, quin timore sublato essent ad pristinos mores reversuri, et praedicatores ejecturi, aut ipsos etiam et ab ipsis conversos, nisi ad pristinam impietatem redirent, occisuri: ut initio nascentis Ecclesiae fiebat. Quae omnia incommoda et difficultates debellatis barbaris facillime tolluntur, et sic plus uno mense in ipsorum conversione proficitur, quam centum annis per solam praedicationem, non pacatis barbaris, proficeretur. Non enim, arbitror, nostri temporis praedicatores sine miraculis plus efficerent, quam quondam Apostoli, *Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* Quae signa jam non sunt a Deo postulanda, cum nobis liceat praeceptum ejus sequentes prudenti consilio barbaros ad convivium evangelicum, qua diximus ratione, compellere. Accedit quod barbarorum subjectio causa est magni Christianorum concursus, quorum illi commercio et consuetudine facilius convertuntur, et conversi commodius edocentur, constanter in accepta fide persistunt, nec in haereses labi permittuntur, et facilius barbariem exuunt, humanioribus et Christianis moribus induuntur. Cum igitur duae viae sint, quibus ad barbarorum conversionem procedi posse videatur, altera per monitionem solum, doctrinamque et praedicationem, difficilis, longa, et multis periculis et laboribus impedita; altera per subjectionem barbarorum, facilis, brevis, et cum multis barbarorum commoditatibus expedita; ultra progrediendum sit, non est prudentis hominis dubitare, praesertim cum Augustinum auctorem habeamus, qui expeditiore progrediendum esse, aperte verbis illis, quae et paulo ante citavimus, declarat. *Si docerentur, inquit, et non terrerentur, vetustate con-*

sue-

suetudinis obdurati ad capessendam viam salutis pigrius moverentur : quibus plane docet Augustinus non doctrina modo agendum esse , sed vim etiam salutiferam , quae viam doctrinae muniat , adhibendam . His rebus explicatis , superest , ut ad objecta respondeamus .

Responde-
tur ad argu-
menta , qui-
bus probant
bellum esse
injustum .

XIX. *Ad primum igitur respondeo* : Bello , quod idololatriis inferitur , non tam hominum quam Dei injurias , quae multo graviores sunt , vindicari ; et alioquin injuriam infert postulanti , qui justa postulata non facit , et qui parere alteri debet , is , si admonitus imperium recuset , injuriosus est ; ut appareat hoc bello humanas quoque , non solum divinas injurias vindicari : nam nec injustum bellum inferre , nec justum illatum , si rite fuerit indictum , propulsare licet sine injuria , non enim solum contumeliam inferre , sed utcumque injuste in quemquam facere injuria est .

XX. *Ad secundum* : fateor , neminem esse ad fidem cogendum , ut invitus credat , invitus baptizetur , ut poenis aut metu Christianus fieri compellatur , quae summa est decretorum et testimoniorum objectorum . Esset enim vis inutilis et irrita opera , nam credere voluntatis est , quae cogi non potest . Idolorum autem cultores Christianorum imperio subjicere , ut impiis ritibus abstinere , et legem naturae servare , evangelicos praedicatores sublatis impedimentis audire cogantur , justum est ac pium , et ab ecclesia comprobatum et factum eorumdem sacrorum Doctorum testimonio Augustini 23. q. 4. c. *non invenitur* , Gregor. in epistola ad Aldibertum , quae est lib. 9. sexagesima .

XXI. *Ad tertium* : Christi facta sive actiones , si possumus , imitari fas est et pium ; sed ita , nisi Christus aliter statuatur . Quamquam igitur Christus nullum nec paganum nec haereticum ad epulas evangelicas , hoc est , ad fidem compulit , nec ipse , nec Apostoli ; idem tamen , cum Regum ac Principum Christianorum facultas esset , ut utrosque , qua ratione diximus , compelleremus , praecipit in evangelica parabola , ut Augustinus , Ambrosius Gregoriusque exponunt , et ita factum est ab Ecclesia tempore Constantini , item Gennadii , cujus bella Gregorius maxime laudat , ut supra memoravimus . Hanc tertiam objectionem accuratissime confutat Augustinus in epistola 50. quae est ad Bonifacium . *Non considerant* , inquit , *aliud tunc fuisse tempus , et omnia suis temporibus agi . Quis enim tunc in Christum crediderat Imperatorum , &c.* Quod er-

ergo quidam cavillantur, evangelicam illam compulsionem ad exemplorum et miraculorum vim esse referendam, commentitium est, et stropa haereticorum ab Augustino in eadem ad Bonifacium epistola confutata.

XXII. *Ad quartum*: Nego commodius barbaros per solam praedicationem ad fidem induci, quam si prius fuerint debellati: quin potius, nisi debellentur, multae et magnae difficultates obsunt praedicationi et conversioni, de quibus supra diximus. Quae omnia impedimenta tolluntur, si prius gentes fuerint in Christianorum ditionem redactae. Itaque bellum est necessarium ad praedicationem et conversionem, non quidem simpliciter, sed quia recte, hoc est, sine magnis difficultatibus, res fieri non potest, nisi gentibus debellatis. Nam cum necessarium quinque modis dicatur auctore Aristotele, uno modo necessarium id esse intelligitur, sine quo res aut omnino, aut recte fieri non potest. Bellum igitur necessarium est, nisi forte barbari voluntate, et sine armis in ditionem redigerentur. Nam via praedicationis sine ulla vi longa est, et multis difficultatibus impedita.

Metaph. 5.

XXIII. *Ad quintum*: Duplex hoc in bello intelligi potest admonitio, una qua pax offertur, si fecerint imperata, ut praecipitur in Deuteronomio his verbis: *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit, et aperuerit portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, et serviet tibi sub tributo.* Quae admonitio non in hoc solum, sed in omni bello juste inferendo necessaria est, si forte ratione, aut denuntiatione periculi, sine sanguine hostes ad deditionem compellere, et quod petimus assequi detur. Alia esset admonitio, de qua supra memoravimus, et quam inutilem fore, ac proinde omissam, et omittendam esse demonstravimus.

C. 20.

XXIV. *Ad sextum* respondeo, istam rationem nihil magis contra hoc bellum facere, quam contra cetera, quacumque ratione fuerint illata: vix enim unquam bellum gestum est sine magnis incommoditatibus et jacturis, sine aliqua injuria et maleficio. Ceterum non si difficile est bellum, et ex causa justa, gerentem injurias et maleficia cavere protinus est impossibile; nec Principi, cujus justa, vel injusta causa bellum justum facit, aut vicissim injustum, assignanda sunt crimina a militibus praeter ejus voluntatem admissa; nec ea ex causa justa injustam faciunt sive damnandam. Quod si

pericula etiam et peccandi occasiones Christianis legibus vitare jubemur, non tamen cum majus alterum malum vitare eodem tempore necessitas adhortatur, aut si aliorum vocet publica et magna commoditas. Nam licet nemo possit in eas angustias compelli, ut peccare sit illi necesse, si tamen duo praecepta simul urgeant, quae simul adimpleri nequeunt, qui graviori paret, altero praetermisso, non peccat, ut concilii Toletani decreto et Gregorii testimonio docemur dist. 13. c. *duo mala*, et c. *nervi*, et Gersonis regula morali, et Aristotelis doctrina *Ethic.* III. quae ratio in bellis potissimum est ineunda, ut docet idem Joannes Gerson auctor gravissimus ibidem: sic enim disserit c. *de avaritia*: *In bellis faciendis, quae malis innumeris plena sunt, nunc ad istos innocentes, nunc ad illos, sola utilitas reipublicae eos excusat a mortali, aut evitatio damni publici notabiliter pejoris, quam sit damnum privatum ex bello proveniens.*

XXV. Ex hoc igitur praecepto si mala et bona, quae hoc bellum barbaris importat, ad calculos revocemus, haud dubie mala bonorum multitudine et gravitate prorsus obruantur. Summa enim malorum est, quod Principes mutare coguntur, nec eos omnes, sed quos oportere visum est; et bonis mobilibus magna ex parte privantur, auro scilicet et argento, quae metalla apud ipsos in parvo pretio erant, quippe qui nec aureis nec argenteis nummis utebantur, et pro his ab Hispanis ferri metallum, quod ad vitae plurimos usus longe commodius est, accipiunt; praeterea triticum, hordeum, legumina, frugiferarum arborum et oleorum multa genera, equos, mulas, asinos, oves, boves, capras, et alia multa barbaris nunquam visa, quae hinc allata felicissime proveniunt in illis regionibus. Quarum rerum singularum commoditate utilitas, quam barbari ex auro et argento accipiebant, longe superatur. Adde nunc litteras, quarum barbari funditus erant expertes, legendi et scribendi prorsus ignari: adde humanitatem, optimas leges et instituta, et quae sola vincit omnes omnium ceterarum rerum commoditates, veri Dei cognitionem, et religionem Christianam: quibus rebus cognitis et animadversis, qui hanc expeditionem impedire conantur, ne barbari veniant in Christianorum ditionem; hos ego non barbaris humane favere, ut ipsi videri volunt; sed eisdem plurima et maxima bona crudeliter invidere contendam. Quae bona ignava et importuna ipsorum sententia vel tolluntur omnino, vel plurimum retardantur.

tur. Neque tamen negaverim posse tempus incidere, cum sit a subjectione barbarorum, licet cogendi facultas adsit, temperandum: ut si quis Princeps cum sua civitate aut gente, non metu et simulatione, sed sua sponte bona fide spiritu Dei afflatus, magistros Christianae religionis a nostris postularet; si quove alio casu recta ratio in maxima rerum humanarum varietate, quam una regula metiri non possumus, barbarorum saluti aliter consulere adhortaretur: legibus enim atque praeceptis, quid in quoque genere magna ex parte fieri oporteat, constituitur. Cetera, quae extra ordinem accidunt, justorum Principum et proborum virorum, qui rebus gerendis praefuerint, prudentiae, prout ratio boni publici postulabit, administranda relinquuntur: ut Philosophus *Polit. III. et Ethic. lib. V.* declarat.

XXVI. *Ad septimum*: quod Paulus ad se pertinere negat, *de eis, qui foris sunt, judicare*, hunc habet intellectum, non esse muneris Apostolici, ut a Christianis, sic ab eis, qui extra fidem sunt, vitae rationem poscere, et ut Christiane vivant postulare. Ceterum dare operam, ut iidem ad Christi fidem convertantur, ac eis evangelium praedicare, et omnia, quae ad hoc commode praestandum conducunt, pro facultate conari, proprium esse muneris Apostolici, non solum ejusdem Pauli, sed omnis omnium Apostolorum vita, et ob id appetita mors testificatur. 1. Cor. 5.

XXVII. Quod vero pertinet ad editionem libri, in quo belli faciendi justitia et ratio, et quid jure, quid injuria fiat, declaratur, et crudeliter atque avare facta vituperantur, si quis miles aut praefectus per occasionem libri se peccasse dixerit, is per ignorantiam affectatam et malitiam, seu per scandalum Pharisaeorum deliquisse facile convincetur. Contra vero ex editione libri haec maxima commoda consequentur. Tolletur magnum scandalum et infamia Regum nostrorum et nationis, qui vulgo propter falsam, aut male intellectam quorundam Theologorum doctrinam injuste et tyrannice hos barbaros in suam ditionem rede gisse putantur, ut quidam nuper impudentissime prodidit. Deinde qui ex hac expeditione aurum vel argentum retulerunt, quid juste, quid injuste paraverint, quid jure retinere possint, quid restituere debeant, facile et ab ipsis et a sacerdotibus, quibus peccata confitentur, intelligetur. Nunc enim utrique in magna juris ignoratione versantur.

XXVIII. *Postremo*, quaestione perorata, *si Rex perstet in sen-*

in sententia,
et confessor
sit in contra-
ria, iuste pos-
sit Rex ab
ipso absolvi.

sententia, confessor contrariam probet, num recte pieque ab eo possit absolvi, respondes statuisque posse, propterea quod utraque opinio probabilis sit, seque pari doctorum numero tueatur. Quod si ita est, obsecro te, Praesul gravissime, quid tibi et istis meis Areopagitis in mentem venit, in causa dubia Regem vestrum vestramque nationem iudicio vestro condemnare, infamiaque notare, et cum magno totius orbis scandalo summi Sacerdotis Ecclesiaeque iudicium atque decretum tam sine causa rejicere, ut contemnere videamini. Hoc igitur dicerem, si causa, ut vobis videtur, esset dubia: nunc autem meis rationibus expositis, si verum quaerimus, nihil habet ambiguitatis. Istorum enim opinio, nec vera est nec probabilis. Nam quod memoras de doctorum seu iudicum numero, vide ne parum diligenter rationem suffragiorum inieris: pro ista enim opinione descriptores solus Thomas Cajetanus facit, nec id aperte; ex ceteris autem nemo, qui meae sententiae fundamenta ex me vel meis scriptis plane cognoverit, praeter admodum paucos ambitione corruptos, qui veritatem scienter et pertinaciter oppugnant, ne ab eo, quod voce aut commentariolis ipsi vel adjurati amici praedicaverant, cum aliqua existimationis jactura discedere videantur.

XXIX. Nostra vero sententia auctores habet ex Philosophis principem ipsorum Aristotelem *Pol. I. c. 3. et 5.* ex juris Pontificii peritis nobiscum faciunt consultissimi quique in *c. quod super his de voto*; ex Theologis vero Augustinus, Ambrosius, Gregorius et Thomas, viri sanctitate et doctrina clari, qui omnes vim apertissime probant, ut in haereticos, sic etiam in paganos, ut demonstravi. Item Jo. Scotus, qui *4. sententiarum*, dist. 4. q. ultima, majorem etiam vim infidelibus horumque filiis adhibendam censet; Nicolaus Lyra *Numer. 31.* Mag. Roa explicans art. *Pol. I.* Jo. Majoris, qui *4. sentent. dist. 44. q. 3.* hanc in barbaros expeditionem nominatim probat; Alfonso Castrus lib. 2. *de justa haereticorum punitione*, qui et ipse nuper Salmanticae, summa quaestionis, quam ipse confeceram, diligenter, ut idem chirographo, quod penes me est, profitetur, perlecta et considerata, libellum meamque sententiam sine ulla exceptione probavit. Ad summam meum librum, antequam versutus et inimicus homo zizania figmentis disseminasset, nemo legit et intellexit, quin magnopere probaret, in primisque quatuor doctissimi et gravissimi viri Fernandus Guevara, et Franciscus Montalvus regii Consilarii, Alvarus Moscosus, Didacus Victoria monachus Domi-

nicanus, quibus singulis libri mei examen a regio Consilio fuit commissum, quorum Theologorum judicium, quod uterque sua manu operi subscripsit, subjeci.

XXX. *Perlegi hoc opus, in quo nihil inveni a veritate alienum, sed plura quae legantur digna, adeoque opus cum auctore non modo commendo, sed admiror. Fr. Didacus de Victoria.* Quam sententiam numquam ille contra communem suorum persuasionem tam libere et incunctanter pronuntiasset, nisi Francisci fratris germani doctissimi et animo ingenuo liberoque viri, qui bidui aberat, auctoritate fuisset confirmatus; cum quo librum meum, quem diu causis illatis retinuit, et consilium communicasse, claris conjecturis pro certo mihi persuasi. Moscosus autem ita subscripsit.

Judicium doctor. virorum de opere Sepulveda de justis belli causis. Victoriae.

XXXI. *Et ego legi hoc opus docte elaboratum, et nihil inveni, quod meo judicio probabilitate careat, immo ea, quae ex sacris litteris et sacris doctoribus hic adducuntur, ita suadent hujus doctoris intentum, ut nullus quamvis protervus oppositum audeat affirmare. Moscosus.* Nec est silentio praetereundum gravissimum amplissimi et doctissimi viri Fernandi Valdesii Hispalensis Archiepiscopi et Inquisitoris generalis testimonium, qui, cum meum librum et summam quaestionis, de qua dixi, semel et iterum legisset, nuper post praeclarum illud judicium in doctissimorum gravissimorumque virorum consessu, cum de his rebus, quae tunc erant in ore omnium, (cui enim non scandalo fuit res tam insperata?) pauca disseruisset: *Dicam, inquit, quod sentio: qui hunc librum impediendi auctores initio fuerunt, hi multo magis ex officio facerent, si sedulo darent operam, ut idem grandioribus litteris excusus ex pulpitis per omnem Hispaniam praedicaretur.* Idem saepe professus est Petrus Ortisius, praestanti doctrina Theologus, in cujus immatura morte magnam nuper jacturam studia theologica fecerunt.

Moscosi judicium.

Judicium Ferd. Valdesii.

Petrus Ortisius.

XXXII. Petrus Sotus monachus Dominicanus, Caroli Caesaris sacrae confessionis administer, in epistola, quam ad me misit, negat se ullo modo de justitia belli hujus dubitare; sed ne libri editionem properarem, me in eadem epistola solícite semel et iterum, nescio qua ratione ductus, adhortatur. Idem palam asserunt Joannes Aegidius, qui Salmanticae ex cathedra theologiam docet, et Honcala

Petr. Sotus.

Jo. Aegidius.

Honcala.

Alfonsi Herrera judicium.

Her-

Hispalenses
Theologi,
Lud. Carva-
jalus.
August. Sba-
roja.
Michaël Ar-
cus.

Martinus
Mendoza.

Herrera monachus Dominicanus, concionator regius, vir doctissimus, animo candido et ingenuo, qui cum mea scripta legisset, meque disserentem audisset: *Ex me, inquit, Genesi, conjecturam facio, nec puto a te quemquam dissentire, nisi qui te tuaque scripta vel non audierit, vel non intellexerit.* Item nobis suffragantur magno consensu Hispalenses Theologi, qui nuper summam quaestionis diligenter perlegerunt, in primisque duo viri doctissimi Ludovicus Carvajalus Franciscanorum praefectus, et Augustinus Sbaroja monachus Dominicanus, qui theologiam ex cathedra in suorum collegio docet. Praeterea vir, ut auctoritate, sic doctrina praestans Michaël Arcus Dominici ordinis in Baetica praefectus Provincialis, qui nuper in Cordubensi coenobio, re diligenter ex meis scriptis meque disserente perspecta, et cum doctis monachis non paucis collata, non solum meam sententiam, ceteris, quos dixi, et in primis Martino Mendoza, ejusdem coenobii praefecto gravissimo et egregia doctrina viro consentientibus, palam probavit, sed etiam mirari sese professus est, quae causa impressionem libri hujus moraretur, qui ad multorum errorem tollendum, et mentes scrupulis et aculeis conscientiae perperam fortassis injectis explicandas magno-pere pertineret: a cujus sensu non abhorrere virum ei doctrina et auctoritate similem Dominicum cognomento Sanctae Crucis, ejusdem ordinis ad Castellam praefectum Provinciale, nuper mihi retulit Dominicus a Cruce cognominatus, ad novam Hispaniam praefectus et ipse Provincialis, qui cum aliis perspectae probitatis et religionis monachis ex illo altero orbe missus fuit, ut Carolum Caesarem coram quid boni publici et justitiae ratio postularet, edocerent, peterentque (id quod impetrarunt) ut pro sua prudentia et aequitate tumultibus illarum regionum incolarum Hispanorum et seditionibus leges temperando prospiceret, et pro sua sapientia modum imponeret tantis malis; quae mala, si verum quaerimus, ex unius hominis vel errore nostrae huic sententiae contrario, vel etiam temeritate et rerum novarum studio primam originem habuerunt; pro quibus malis, et quietis impatiente animo, qui nos quoque hic exercet, homini malum cupere vel imprecari alienum est meae naturae et instituto; quin magis precor, ut Deus illi meliorem mentem praebeat, quo discat aliquando quietas cogitationes turbulentis consiliis anteferre.

XXXIII. Ad summam, ut unde sumus digressi, revertamur, a nobis sunt omnes eruditi, quibuscumque meam sententiam et ratio-

tio-

tiones exposui, praeter paucos, quos dixi, ambitione aut alio graviore morbo corruptum et repugnantem animum gerentes, quos ipsos tamen tergiversantes et laborantes disputatione coëgi, ut ad levissima et plane indocta commenta, nolo enim dicere puerilia, miserabiliter confugerent more factiosorum hominum, qui in civilibus contentionibus et magnis rerum angustiis ergastula solvunt. Longe igitur dispar nostra et adversariorum causa est. A quibus si ceteris in rebus tantopere vinceremur, quanto sumus superiores: una tamen summi Sacerdotis et Ecclesiae sacrosancta, qua ipsi nitimur, auctoritas in hac mores et religionem publice attingente causa omnes omnium aliorum iudicum sententias pondere et majestate apud pios omnes longe superaret; nec superaret modo, sed etiam pertinaciter obsistentes, haereticos esse convinceret. Ut igitur dicam quod sentio, et aliquando perorem: haud equidem video, quomodo istorum opinio defendi queat, quae fundamentis et strophis haereticorum nititur, evangelio et sacrorum doctorum consentientibus declarationibus et testimoniis adversatur, a vetere iudicio Ecclesiae dissentit, et novum ejusdem gravissimum decretum et rescriptum nostris Principibus Apostolicum oraculum ex divino praecepto (de quo est *Deut.* 17. et c. *per venerabilem, qui filii sint legit.*) consulentibus datum contemnit; aut quomodo non sit haeretica, si rebus et rationibus cognitis cum pertinacia defendatur.*

* In editione hujus operis prima adjectum est in fine: „Hoc opus iudicio doctissimorum et gravissimorum dominorum Philippi Archinti Sanctissimi Domini nostri Papae Vicarii, et Aegidii Foscararii magistri sacri palatii, ac Antonii Augustini auditoris Rotae examinatum et approbatum, et multorum aliorum eruditissimorum virorum consensu in urbe commendatum, impressum fuit Romae apud Valerium Doricum et Ludovicum fratres Brixienses. Prima Maii anno a Christo nato M. D. L.“

D E C R E T U M E T I N D U L T U M

A L E X A N D R I S E X T I

S U P E R E X P E D I T I O N E I N B A R B A R O S N O V I O R B I S ,
Q U O S I N D O S V O C A N T .

IN nomine Domini Amen. Noverint universi hoc praesens publicum transumptum inspecturi, quod nos Jacobus Conchillos, Dei et Apostolicae sedis gratia Episcopus Cathaniensis, habuimus, vidimus et diligenter inspeximus infrascriptas litteras felicitis recordationis Alexandri Papae VI. ejus vera bulla plumbea cum cordulis sericeis croceique coloris more Romanae curiae impendentis bullatas, sanas siquidem et integras ac omnimoda suspicione carentes hujusmodi subtenore.

„Alexander Episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo
 „filio Ferdinando Regi et carissimae in Christo filiae Elisabeth Reginae
 „Castellae, Legionis, Aragonum, Siciliae et Granatae illustribus,
 „salutem et Apostolicam benedictionem. Inter cetera divinae ma-
 „jestati beneplacita opera, et cordis nostri desiderabilia, illud pro-
 „fecto potissimum existit, ut fides catholica et Christiana religio no-
 „stris praesertim temporibus exaltetur, ac ubilibet amplietur et dila-
 „tetur, animarumque salus procuretur, ac barbarae nationes depri-
 „mantur, et ad fidem ipsam reducantur. Unde cum ad hanc sacram
 „Petri sedem, divina favente clementia, meritis licet imparibus, evo-
 „cati fuerimus, cognoscentes vos tamquam veros catholicos Reges
 „et Principes, quales semper fuisse novimus, et a vobis praeclare
 „gesta toti paene jam orbi notissima demonstrant, nedum id exopta-
 „re, sed omni conatu, studio et diligentia, nullis laboribus, nullis
 „impensis, nullisque parcendo periculis, etiam proprium sanguinem
 „effundendo efficere, ac omnem animum vestrum omnesque conatus
 „ad hoc jamdudum dedicasse, quemadmodum recuperatio regni
 „Granatae a tyrannide Saracenorum hodiernis temporibus per vos
 „cum tanta divini nominis gloria facta testatur: digne ducimur non
 „immerito, et debemus illa vobis etiam sponte et favorabiliter con-
 „cedere, per quae hujusmodi sanctum et laudabile ac immortalis Deo
 „acceptum propositum in dies ferventiori animo ad ipsius Dei hono-
 „rem et imperii Christiani propagationem prosequi valeatis. Sane

„accepimus, quod vos, qui dudum animum proposueratis aliquas
 „insulas et terras firmas remotas et incognitas, ac per alios hactenus
 „non repertas quaerere et invenire, ut illarum incolas et habitatores
 „ad colendum Redemptorem nostrum et fidem catholicam profitendum
 „reduceretis: hactenus in expugnatione et recuperatione ipsius regni
 „Granatae plurimum occupati, hujusmodi sanctum et laudabile pro-
 „positum vestrum ad optatum finem perducere nequivistis. Sed tan-
 „dem, sicut Domino placuit, regno praedicto recuperato, volentes
 „desiderium adimplere vestrum, dilectum filium *Christophorum Co-*
 „*lon*, virum utique dignum et plurimum commendandum, ac tanto
 „negotio aptum cum navigiis et hominibus ad similia instructis, non
 „sine maximis laboribus et periculis ac expensis destinastis, ut terras
 „firmas, et insulas remotas et incognitas hujusmodi, per mare, ubi
 „hactenus navigatum non fuerat, diligenter inquireret. Qui tandem,
 „divino auxilio facta extrema diligentia in mari oceano navigantes,
 „certas insulas remotissimas, et etiam terras firmas, quae per alios
 „hactenus repertae non fuerant, invenerunt, in quibus quamplurimae
 „gentes pacifice viventes, et, ut asseritur, nudi incedentes, nec car-
 „nibus vescentes inhabitant, et ut praefati nuntii vestri possunt o-
 „pinari, gentes ipsae in insulis et terris praedictis habitantes, credunt
 „unum Deum creatorem in caelis esse, ac ad fidem catholicam am-
 „plexandum et bonis moribus imbuendum satis apti videntur, spes-
 „que habetur quod, si erudirentur, nomen Salvatoris domini nostri
 „Jesu Christi in terris et insulis praedictis facile induceretur. Ac prae-
 „fatus Christophorus in una ex principalibus insulis praedictis jam u-
 „nam turrim satis munitam, in qua certos Christianos, qui secum
 „viverant, in custodiam, et ut alias insulas ac terras firmas remotas
 „et incognitas inquirerent, posuit, construi et aedificari fecit. In
 „quibus quidem insulis et terris jam repertis aurum, aromata, et
 „aliae quamplurimae res pretiosae diversi generis et diversae quali-
 „tatis reperiuntur. Unde omnibus diligenter, et praesertim fidei ca-
 „tholicae exaltatione et dilatatione, prout decet catholicos Reges et
 „Principes, consideratis: more progenitorum vestrorum, clarae me-
 „moriae Regum, terras firmas et insulas praedictas illarumque in-
 „colas et habitatores vobis, divina favente clementia, subjicere et
 „ad fidem catholicam reducere proposuistis. Nos igitur hujusmodi
 „vestrum sanctum et laudabile propositum plurimum in Domino
 „commendantes, ac cupientes, ut illud ad debitum finem perduca-

igitur, et ipsum nomen Salvatoris nostri in partibus illis inducatur: hortamur vos quamplurimum in Domino, et per sacri lavacri susceptionem, qua mandatis apostolicis obligati estis, et viscera misericordiae domini nostri Jesu Christi attente requirimus, ut cum expeditionem hujusmodi omnino prosequi et assumere prona mente orthodoxae fidei zelo intendatis, populos in hujusmodi insulis et terris degentes ad Christianam religionem suscipiendum inducere velit et debeatis, nec pericula, nec labores ullo umquam tempore vos deterreant, firma spe fiduciaque conceptis, quod Deus omnipotens conatus vestros feliciter prosequetur. Et ut tanti negotii provinciam apostolicae gratiae largitate donati liberius et audacius assumatis: motu proprio, non ad vestram vel alterius pro vobis super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes insulas et terras firmas inventas et inveniendas, detectas et detegendas versus occidentem et meridiem, fabricando et construendo unam lineam a polo arctico, scilicet septentrione, ad polum antarcticum, scilicet meridiem, sive terrae firmae et insulae inventae et inveniendae sint versus Indiam aut versus aliam quamcumque partem, quae linea distet a qualibet insularum, quae vulgariter nuncupantur *de los Azores et Cabo verde*, centum leucis versus occidentem et meridiem: ita quod omnes insulae et terrae firmae repertae et reperiendae, detectae et detegendae a praefata linea versus occidentem et meridiem, per alium Regem aut Principem Christianum non fuerint actualiter possessae usque ad diem nativitatis domini nostri Jesu Christi proxime praeteritum, a quo incipit annus praesens millesimus quadingentesimus nonagesimus tertius, quando fuerunt per nuntios et capitaneos vestros inventae aliquae praedictarum insularum: auctoritate omnipotentis Dei nobis in beato Petro concessa, ac vicariatus Jesu Christi, qua fungimur in terris, cum omnibus illarum dominiis, civitatibus, castris, locis et villis, juribusque et jurisdictionibus ac pertinentiis universis vobis heredibusque et successoribus vestris, Castellae et Legionis Regibus, in perpetuum tenore praesentium donamus, concedimus et assignamus, vosque et heredes ac successores praefatos illarum dominos cum plena, libera et omnimoda potestate, auctoritate et jurisdictione facimus, constituimus et deputamus. Decernentes nihilominus per hujusmodi donationem, concessionem et assignationem

nem nostram nulli Christiano Principi, qui actualiter praefatas in-
 sulas et terras firmas possederit usque ad praedictum diem nati-
 vitatis domini nostri Jesu Christi, jus quaesitum sublatum intelli-
 posse aut auferri debere. Et insuper mandamus vobis in virtute san-
 ctae obedientiae, ut sicut etiam pollicemini, et non dubitamus pro
 vestra maxima devotione et regia magnanimitate vos esse facturos,
 ad terras firmas et insulas praedictas viros probos et Deum timen-
 tes, doctos, peritos et expertos ad instruendum incolas et habita-
 tores praefatos in fide catholica et bonis moribus imbuendum des-
 tinare debeatis, omnem debitam diligentiam in praemissis adhiben-
 tes. Ac quibuscumque personis cujuscumque dignitatis, etiam im-
 perialis et regalis, status, gradus, ordinis vel conditionis sub excom-
 municationis latae sententiae poena, quam eo ipso, si contra fecerint,
 incurrant, districtius inhibemus, ne ad insulas et terras firmas in-
 ventas et inveniendas, detectas et detegendas versus occidentem et
 meridiem, fabricando et construendo lineam a polo arctico ad po-
 lum antarcticum, sive terrae firmae, et insulae inventae et inve-
 niendae sint versus Indiam aut aliam quamcumque partem, quae
 linea distet a qualibet insularum, quae vulgariter nuncupantur *de*
los Azores et *Cabo verde*, centum leucis versus occidentem et
 meridiem, ut praefertur; pro mercibus habendis, vel quavis alia
 de causa accedere praesumant absque vestra ac heredum et succes-
 sorum vestrorum praedictorum licentia speciali. Non obstantibus
 constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis
 quibuscumque, in illo, a quo imperia et dominationes ac bona cun-
 cta procedunt, confidentes, quod, dirigente Domino actus vestros,
 si hujusmodi sanctum et laudabile propositum prosequamini, bre-
 vi tempore cum felicitate et gloria totius populi Christiani vestri
 labores et conatus exitum felicissimum consequentur. Verum quia
 difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, in quibus
 expediens fuerit, deferri: volumus, ac motu et scientia similibus
 decernimus, quod illarum transumptis manu publici notarii inde ro-
 gati subscriptis, et sigillo alicujus personae in ecclesiastica dignitate
 constitutae, seu curiae ecclesiasticae munitis, ea prorsus fides in
 iudicio et extra, ac alias ubilibet adhibeatur, quae praesentibus
 adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino
 hominum liceat hanc paginam nostrae commendationis, hortationis,
 requisitionis, donationis, concessionis, assignationis, constitutionis,

„deputationis , decreti , mandati , inhibitionis , et voluntatis , infrin-
 „gere , vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare
 „praesumserit , indignationem omnipotentis Dei , ac beatorum Petri
 „et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datis Romae apud
 „Sanctum Petrum , anno Incarnationis dominicae millesimo qua-
 „dringentesimo nonagesimo tertio , quarto nonas Maii , pontificatus
 „nostri anno primo.“

Haec declaratio , decretum atque concessio sacrorum canonum
 sententiae consentit , quae habetur c. *per venerabilem* , §. *rationibus* ,
qui filii sunt legitimi , et c. *si non* 23. q. 4. in quo inquit Gregorius,
justum sanctumque esse bellum , quod infidelibus a Christianis infer-
tur , ut eis imperio subditis praedicari possit Christi evangelium,
ne si imperio subditi non sint , praedicationi et conversioni eorum,
qui crediderint , impedimento esse possint . Idemque decretum at-
 que concessio potestati Christi innititur , qui cum ei secundum huma-
 nitatem , ut Hieronymus et Augustinus exponunt , *data fuisset omnis*
potestas in caelo et in terra , hanc potestatem communicavit cum vi-
 cario suo , quae quamvis ordinetur ad salutem animarum et bona
 spiritalia , non tamen excluditur a temporalibus , quatenus haec or-
 dinantur ad spiritalia , ut Thomas testatur. Subjectio autem barba-
 rorum ad evangelii praedicationem ordinatur , ad quam Papa non
 solum potestatem habet a Deo , sed etiam praeceptum evangelicum.
 Nam quod Paulus ad se pertinere negat , *de iis , qui foris sunt , ju-*
dicare , hunc habet intellectum , non esse muneris apostolici ut a
 Christianis , sic ab iis , qui extra fidem sunt , vitae rationem poscere,
 vel ab eis , ut Christiane vivant , postulare. Ceterum dare operam , ut
 iidem ad Christi fidem convertantur , proprium esse muneris aposto-
 lici , non solum ipsius Pauli , sed omnis omnium Apostolorum vita ,
 et ob id oppetita mors testificatur . Vide Augustini epistolas 48. et
 50. et 204. quae sunt ad Vincentium , ad Bonifacium , ad Dona-
 tum , et citantur in decretis 23. q. 4. c. *non invenitur* , c. *si Eccle-*
sia , c. *displicet* q. 6. c. *vides* : item epistolas Gregorii 73. primi li-
 bri , et 60. noni , et Ambrosii epistolas 30. et 31. Nam licet in hae-
 reticos disputat Augustinus , in eisdem rationibus a caritate profectis
 concludit juste paganos compelli , ut desistant idololatria , dicto c.
non invenitur. Thomas secunda secundae q. 10. art. 8. *Infideles* , in-
 quit , *compellendi sunt* , si facultas adsit , ne fidem impediunt blasphemis,

Matth. 28.

De reg. prin.
 lib. 3. c. 10. et
 13.

1. Cor. 5.

miis, vel alia ratione, et ideo frequenter bellum in eos fideliter movent. Idem q. 94. art. 3. testatur idololatria magnam blasphemiam contineri, et fidem opere impugnari. Unde Lyra super *Numer.* c. 31. justum esse bellum dicit contra idololatrias, ne Deum blasphement per idololatriam. Sed omnium maxime facit c. *si non* 23. q. 4. Vide etiam Innocentium et Hostiensem et Panormitanum in c. *quod super his de voto*. Itaque vis prohibita c. *de Judaeis* dist. 45. est, ne quis invitus baptizetur, aut Christianus esse cogatur. Nam deponere idololatriam et Christianorum imperio parere justissime compelluntur infideles, ne fidei praedicationem et propagationem impediant, et facilius convertantur: non tamen sunt nec possessionibus spoliandi, nec in servitutem redigendi.

